UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Codicis Dn. Ivstiniani Sacratissimi Principis P.P. Avg. Repetitæ prælectionis Libri XII

**Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>**

**Francofurti ad Moenum, M D LXXXVII.**

Imperatoris Leonis novellæ constitutiones

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1733

Visual Library

# IMPERATORIS LEONIS[a] AVGVSTI NOVELLÆ CONSTITVTIONES:

## AVT,

*Correctoriæ[c] legum repurgationes.*

## Henrico Agylæo interprete.

### PROOEMIVM.

RERVM humanarum viciſſitudo, vitæq; inconſtans atque multiformis ſtatus permultis ac omne genus legibus ortū[d] præbuere: quæ *leges* quia ſua multitudine ad quaſcunq; ſe facile res protendunt, quum [illegible]mouent, quicquid rectè aut ſecus ſeſe habeat, dijudicant. Sunt itaq; tanquam[e] cuſtodes quidam vitæ noſtræ & medici[f], dum mala, partim ne oriantur ac in communem vitam promanent, impediunt[g]: partim verò, quæ mala occulta ſunt, inſinuanterq; irrepſerunt, eorum noxam corrigunt[a], ac velut radicitus vitioſitatem euellunt, eamque non ſinunt corroborari. Atqui *earundem* humanarum rerum curſus[b], velutique reciprocus quidam æſtus, dum ſurſum deorſum omnia vertit ac voluit, & multa quæ rectè conſtituta eſſent, in peius commutat, permulta item obliuione obruit, vt perinde ac ſi in rerum natura viſa nunquam eſſent, incognita ſint: non mediocrem illis labem intulit; has profundo ſilentio tegendo, in illis verò vt inter ſeſe diſſentiant efficiendo: idque alias, dum illi ipſi qui illas tulerunt, in priore ſententia ac volunte non perſiſtūnt, verum ſibi ipſi cōtradicunt: alias etiam, dum poſteriores modo conſuetudine, modo lege illis contraria ſuſtinent, vt hinc cònfundi leges, nec exiguum rebus mortalium inferri detrimentum contingat, alijs cum alijs commutatis, talorumque[c] inſtar huc illuc temere voluentibus. Illas itaque res, ex quarum tranquillo & imperturbato ſtatu ſalus reipublicæ dependet, in tanta confuſione perturbationeque verſari, indignum neglectu rati, quam accuratiſſima leges inſpectione ac conſideratione dignati ſumus: & quas obtinere conducibile fore animaduertimus, illis ſelectis, ſcripto[d] Imperatoriæ noſtræ maieſtatis decreto in republica authoritatem confirmauimus: vtque controuerſias dijudicarent, inſuper etiam ſciuimus: quas verò vtiles iudicauimus, harum nonnullas in perpetuum ſilentium coniectas, decreto & ipſas à legum honore atque ordine exulare iuſſimus: quarum autem nullam prorſus mentionem fecimus, has etiam, hoc ipſo quòd earum non meminerimus, iuxta atque illas in exilium eiecimus. Denique quoniam & inter receptas conſuetudines[e] nonnullas ratione non deſtitui, taleſque quales prudens aliquis non contemnat, vidimus, has quoque legis prærogatiua honeſtantes, ex inſcriptæ [f] conſuetudinis ſtatu ad legis imperium atque honorem eueximus. Quum ergo hæc ita à nobis comparata ſint, ſciat quiſque, quòd quæ leges per ſcriptum Imperatoriæ noſtræ maieſtatis decretum authoritatem nactæ, aut quæ conſuetudines legis dignitate honoratæ fuerint: hæ & in republ. obtinebunt, & controuerſias in ſe ſuſpenſas habebunt. quæ autem ab illis in contrarium vergunt, aut mentione ſempiternam illis taciturnitatem iniungente, citráve hanc etiam, vt quæ cum deſpectis eiuſdem conditionis ſint, eodem decore dignæ habitæ ſunt: hæ verò dehinc & reiectæ & à republica exules atque extorres erunt.

## QVOD VNVMQVEMque, qui iudicandi prærogatiuam acceperit, quemadmodum legalium capitulorum à nobis habitus delectus[g] ſtatuerit, dirimere controuerſias oporteat: quæ verò inter reprobata[h] habita ſunt, vti ex illis nulla litis ambiguitas dijudicetur.

[a] Non inutile fortaſſis fuerit Græcorū librorum originē qui multorum manibus hodie teruntur hic referre. Baſilius Macedo cum filio Conſtantino & Leone philoſopho (cuius Nouellas hic interpretor) ediderat πρόχειρον, diſtinctū titulis 60. *ad* [illegible] *de Nouel. 1. in f. Nouell. 71. ǰ. de nupt.* Huic conſequutus Leo filius, collatis omnibus quæ de iure ciuili extabant voluminibus, Digeſtis, Codicibus, Inſtitutis, Nouellis, nouum opus libris 60. complexus eſt: ꝙ ideo ἑξηκοντάβιβλον, & quia principum leges continet τὰ βασιλικὰ etiam appellant, & ἐκλογὴν *Nouell. 1. ǰ. eodem.* hoc itaque conſtet, Leonem βασιλικῶν authorem eſſe 1. *Harmenop. 1. in princ. Balſamon in verſibus Heroicis.* Eodem tempore Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus νομοκανόνα edidit, quaſi breuiarium & indicem Canonum vſu receptorum, diſtinctum titulis XIIII. quem & προκανόνα appellarunt, fortè ꝙ is Photij liber præponeretur canonibus. Idem enim penè præſtiterunt Photius & Balſamon Græcis, quod Latinis poſtea Burchardus Vvormatienſis anno 1020. Iuo Carnotenſis anno 1090. & Gratianus anno 1120. Poſtea Conſtantinus, Leonis filius, cognomento Porphyrogenneta, libros Baſilicôn repurgauit, fuitque author ἀνακαθάρσεως, id eſt, Baſilicôn repetitæ prælectionis, & ita Balſamon intelligendus eſt in præfatione, ne alioquin ſibi contrarius, Conſtantinum Porphyrogennetam authorem faciat τῶν βασιλικῶν. Neque tantum à Conſtantino Porphyrogenneta libri Baſilicôn repurgati: ſed & Photij Procanon ſeu Nomocanon. A Conſtantino, Romanus Lecapenus iunior, Conſtantini Porphyrogennetæ nepos, edidit (vt quidam putant) librum qui inſcribitur μικρὸν κατὰ στοιχεῖον, quod ſit paruum manuale, ordine alphabetico titulos diſpoſitos habens, quo libro multis locis vtitur Conſtantinus Harmenopulus, vt & alijs nuncupatis Ῥωμαικὰ Magiſtri ſiue Patricij, titulis & capitibus diſtinctis. Hos omnes inſecutus eſt Balſamon interpres Photij, ex Diacono magnæ eccleſiæ Cōſtantinopolitanæ, Nomophylace, & Chartophylace, & Præfecto Blachernenſi, Antiochiæ, totiuſq; Orientis Patriarcha. De Eparchicis alias dixi, quibus addi cupio Cuiacium *6. obſeru. 9.* & 10. de ſynopſi βασιλικῶν ſeu Ecloga hoc viſum eſt addere: βασιλικῶν, maiorum quaſi epitomen eſſe. *Vide Leunclauium in præfatione Eclogæ*, quam multis erroribus occaſionem dediſſe ſcribit Cuiacius 18. *obſeru.* 36. Quod ad Nouellas Leonis, quas nunc interpretor, attinet: veriſimile eſt editas fuiſſe poſt libros βασιλικῶν, vt & Nouellas Iuſtiniani, poſt editionem Codicis. [b] editæ à Leone poſt libros βασιλικῶν, quæ multa corrigunt ex Iuſtinianeo iure, quas idem Cuiacius 17. *obſeruat.* 31. negat vllius eſſe authoritatis apud nos: quin, ne ætate quidem Leonis, vnquam obtinuiſſe, niſi, vt Græci apud eundem notant, in ijs, de quibus antea nihil conſtitutum fuerat, *vt Nouell.* 57. 71. 89. 102. 103. 104. vel quæ ius vetus explicant *vt Nouell.* 77. aut ſupplent *vt Nouel.* 5. [c] ἐπανορθωτικαὶ καθάρσεις. His verbis puto indicari repetitam legum prælectionem factam à Leone philoſopho, non has Nouellas. vt hoc procœmio agatur de authoritate legum a Leone philoſopho emendatarum. [d] Ex corruptis moribus ciuium, optimæ leges naſcuntur. [e] Ad ſalutem ciuium, ciuitatiſq; incolumitatem, vitamque hominum & quietem conditæ ſunt leges, *Cicero 2. de legibus.* [f] Quod medicamenta morbis, hoc exhibent iura negotijs, *Nouella Iuſtiniani.* 111. *in principio.* [g] prohibendo ſcilicet *leg. 7. ff. de legibus.*

[a] hinc pœnæ conſtitutæ.

[b] Legum deſuetudinis cauſæ.

[c] κατὰ κύβου. ſpecies eſt prouerbij.

[d] has Nouellas non intelligit, ſed βασιλικῶν libros, de quibus ſ. dixi, alioquin, quid eſt in his Nouellis, ꝙ omnibus litibus finiendis ſatis eſſe poſſit.

[e] Ex conſuetudinibus leges fiunt.

[f] Conſuetudo ſcripta.

[g] ἐκλογὴ. intelligit haud dubiè libros βασιλικῶν in quib. quod à ſeculo Iuſtiniani ad ſua tempora deſuetum erat abrogatur: his tantum ſelectis quæ in vſu quotidiano erant poſita.

[h] Lites, nō ex legibus abrogatis dirimēdæ. Idem à Iuſtiniano conſtitutū §. 3. *conſt. de Iuſtinianeo Co.* & §. 5. *de emendat. Cod.*

*CONSTITVTIO I.*

In nomine eius qui vniuerſo humano generi ſalutares leges tulit, CHRISTI veri Dei noſtri, Imper. Cæſar FLAVIVS LEO, pius, fœlix, inclytus, victor, triumphator, omni æuo venerabilis, Auguſtus, fidelis Rex: Styliano Illuſtriſſimo ſacrorum noſtrorum officiorum magiſtro.

CELEBERRIMI ille inter imperatores nominis Iuſtinianus, quum animo eſſet erga rempubl. & optimo, & eius vtilitatum ſtudioſiſſim. velut ſiluam [a] quandam, conſtitutiones in Romano Imperio inde ab initio vſque ad ſuam ætatem diuerſis temporibus editas accipiens, quo bene de ſubditis mereretur, induſtria & laboribus ſuis opus admiratione dignum, vniuerſarum nempe legum illam incorporationem [b], ſumma cum contentione efficere eſt conatus. Siquid contrarium aut inconueniens appareret, repurgauit: ex quibus verò compoſitum reipublicæ ac decorum ſtatum exiturum crederet, hæc in vnum contexuit, atque velut in artem [c] aliquam informauit quaſique in vna iuſtitiæ libra [d], à qua iuſtum à diuerſo & iniuſto diſcerneretur, conſtituit & collocauit. Atqui (vt conſtat) vbique eſt pulcherrimum, *Vt nequid [e] nimis.* Quum namque in multas partes diuiſam legum ſubſtantiam ac materiam in vnum corpus [f] tanta cum laude coagmentaſſet, præterea etiam quæ legalis regiminis ordinem ac cōuenientiam ſæpenumero labefactarent, in concordiam redegiſſet: itaque quòd ad hæc ſola omnes ſententiæ ferendæ eſſent, in vnum conſenſum iudices compuliſſet, eoſq; ad pacifice iudicandum, legalibus capitulis in tranquillo & ab omni contentione libero ſtatu conſtitutis, inter ſe conciliaſſet: his ille non contentus, ſed præſtantius [g] quippiam in reipublicæ gratiam poſtmodum conficere cogitans, imprudens ijs quæ poſtea ſtatuit, primum opus euertit: neque alterum vituperationi non obnoxium fecit, quum ex poſteriore ipſius inſtituto non paucæ aduerſus prius ſuſcitatæ contradictiones & controuerſiæ ſint. Atque ad hunc ſanè modum ipſe Iuſtinianus à ſeipſo vitium paſſus eſt. Certè quidem quum vſque ad hodiernum diem nunc ex recentioribus ſanctionibus, nunc ex inſcriptis, & non aliunde quam [h] quod multitudini placeant, authoritatem præ ſe ferentibus conſuetudinibus: permulta ab illo tempore innouata ſint: parum abeſt, quin res legalis prorſus turbata confuſaque ſit, & communis vitæ negotia ſurſum deorſum ſubſultim ferantur. Quapropter [i] quum ſiquid aliud, hoc certè quòd opitulatrice noſtra induſtria & cura neceſſariò potiatur dignum ſit ** tractatum inſuper & conſuetudinibus quæ ad rerum gubernationem deueniſſent, diligenter excuſſis legum inter ſe contradictionem ſuſtulimus: quicquid aduerſarium & ad præſentem rerum conſtitutionem rationemque illicitum eſſet, huic legalem authoritatem abrogantes: quæcunque verò conſuetudines non malè neque noxie de rebus conſtituere viderentur, has non amplius inſcriptas & neglectas conſuetudines manere ſinimus, ſed ad legis vim ac poteſtatem extulimus: alicubi autem & ad ſæuitiam quiddamque præfractius ſpectantem, ac ceu iuſtitiæ penitus oblitam legem, ad ſuum decentemq; modum legibus debita cum æquabilitate contraximus. His itaque hoc pacto diſpoſitis & conſtitutis, omnibus quibus iuſtitiæ trutinæ commiſſæ ſunt, & magiſtratibus & iudicibus mandamus, *Vt [k] quæ leges* ab Imperatoria noſtra maieſtate à legali ſolo exulare iuſſæ ſunt, has inutiles iudicantes, dehinc in omne æuum reijci ſinant: ſecundum reliquas verò ſcriptas atque veteres, & quæ haud ita pridem à ſempiternæ memoriæ patre [l] noſtro, atque nunc à nobis ſelectæ aut latæ ſunt, controuerſijs dijudicationes ſuppeditent, neminique poſthac ad aliquam à legali authoritate exterminatam iuris ſpeciem declinare, neque ad conſuetudinem quampiam, quæ accepta prærogatiua, pro eo quod conſuetudo eſſet ac diceretur, ad legis maieſtatem & honorem à potentia noſtra ſubuecta non ſit, recurrere permittatur.

[a] ὕλην.
[b] σωματοποιΐαν.
[c] ars aliqua iuris.
[d] Iuſtitiæ libra.
[e] τὸ μηδὲν ἄγαν Terētius in Andria *act.* 1. *ſcen.* 1. Id arbitror adprimè in vita eſſe vtile, vt *Ne quid nimis.*
[f] σῶμα. ſic corpus Homeri dicitur *l.* 52. §. 2. *ff. de leg.* 2.
[g] Codicē Iuſtinianeū repetitæ prælectionis intelligit.
[h] *l.* 32. §. 1. *ff. de legib.*
[i] Quid à Leone præſtitum fuerit in emendatione iuris.
[k] Obſerua ſententiā huius Nouellæ. *facit* §. 3. *de Iuſtinianeo Co.* §. 5. *Cod. de emendat. Cod.*
[l] Baſilio ſcil. Macedone. nam antea dixi Baſiliū Macedonē cum filijs Conſtātino & Leone vidiſſe πρόχειρον diſtinctum titulis ſexaginta.

VT QVI CÆTERA SECVNDVM ſacros diuinoſque Canones epiſcopali dignitate dignus eſſe probatur, ſi liberi ex legitimo matrimonio illi ſint, ob illos in conſequendo honore nullum impedimentum ſentiat.

*Aliter,*

VT QVI ALIOQVI PRINCIPE [a] SAcerdotio dignus eſt, ſi legitimi illi liberi ſint, non impediatur illum conſequi.

*CONSTITVTIO II.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ vniuerſali.

QVVM ſacroſancti diuinique canones, & quicunque alij de ſacerdotio ac epiſcoporum creatione ſtatuere, in optimum numeriſque omnibus plenum editi ſint modum (& quidem quomodo illi non exactè perfecteq; editi ſint, quum diuina inſpiratio in authoribus efficaciter operata ſit?) mirari [b] ſubit, quomodo non veriti nonnulli ſint, ſacras diuinaſque leges, tanquam illæ abſolutæ non eſſent, promulgatis alijs legibus abrogare. Etenim quum ſacri canones [c], quibus locis de epiſcoporum creatione præſcribunt, ſtatuant, *eum [d] qui ex* legitimo matrimonio liberos habeat, ſi modo in reliqua vitæ ratione nihil impedimenti ſit, ad primarium [e] ſacerdotium promoueri poſſe: hi in contrarium ſtatuentes [f], aiunt, vt ij qui liberos habent tametſi legitimi coniugij munus ſint, ad Epiſcopalem dignitatem euadant, ſuo impedimento vacare. Quod ideo fortaſſe in animum induxerunt, quod [g] iſtiuſmodi affectione quadam erga liberos (quid enim quis aliud dicat?) ſacras facultates oblæſurus videatur. Verum non rectè ſeſe illa ratio habet. Sic namque [h] nec fratribus alijſve cognatis ſuperſtitibus acceſſum quiſquam ad Epiſcopatum haberet: ſiquidem & ad hos ſanguinis propinquitatiſque affectio reſpicit. Quin & hoc præuidentes diuini canones, fecerunt epiſcopis poteſtatem, vt ſi ipſis pauperes cognati eſſent, illorum inopiam ex ſacris facultatibus ſubleuarent. Noſtra igitur Imperatoria quæ ex Deo eſt maieſtas, ſi mandatis diuinis inſiſtatur, id longè cōuenientius fore animaduertens, cōſonam illis profert legem, vt quemadmodum ipſis videtur ad primarium ſacerdotium promoueri poſſe † qui illo honore alioqui dignus ſit, tametſi liberi ipſi lege tamen honorati ſint: id ita liceat: & ita quidem cenſens, vt à lege quæ contradicere auſa fuit, in audaciæ pœnam perpetuum in futurum exigatur ſilentium.

VT QVI SACERDOTES CREANDI ſunt ſecundum eccleſiæ ritus, ea lege creentur, vt omnem deinceps vitam cœlibem agant: aut ſi matrimonium contrahere velint, prius id faciunt, ac deinde ad creationem procedant.

*Aliter,*

QVOD ANTE INEVNDVM SACERdotium matrimonium contrahi debeat.

*CONSTITVTIO III.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & vniuerſali Patriarchæ.

QVVM decenter inde ab initio de ijs qui faciendis Deo ſacris digni eſſent, eccleſiaſticus ordo conſtituerit, non rectè (meo quidem iudicio) qui præſentis temporis conſuetudinem ſequuntur, interdum eccleſiaſticam traditionem contemnunt. Nam vbi illa [i] mandat, *Vt qui creandi* ſacerdotes ſunt, aut per omnem vitam, ſi promiſſum non falſum fore fidant, cœlibatum voueant: aut ſi [k] illum ſeruare impoſſibile ipſis videatur, legitimè matrimonium ineant, ac deinde diuinum miniſterium ſuſcipiant: conſuetudo quæ in præſenti obtinet, ijs, quibus matrimonio coniungi in animo eſt, concedit, vt [l] antequam vxorem duxerint, ſacerdotes fieri poſſint, & deinde biennium ad perficiendam voluntatem iungi matrimonio volenti præſtituit. Id igitur quia indecorum eſſe videmus, iubemus, vt ad vetus

[a] ἀρχιερωσύνης intelligit ſacerdotium epiſcopale.
[b] Leges diuinæ abrogari non poſſunt.
[c] 1. *ad Tim.* 4. *ad Tit.* 1. *Verſic.* 6.
[d] Nemo remouetur ab epiſcopatu adipiſcendo propter liberos quos habet.
[e] ἀρχιερωσύνην.
[f] *V. leg.* 42. §. 1. *Cod. de epiſcop. Nouell.* 123. *c.* 1. *Nouel.* 137. *ca.* 2.
[g] adde & alias ex *d.* §. 1. *diſtinct.* 28. *cap. prinſquam de ſyracuſana.* hinc dubitandi ratio ſumitur.
[h] Euerſa ratio dubitādi ab abſurdo.
† & ita abrogatur *d.* §. 1. *d. Nou. ca.* 1. §. 4. *Nouell.* 23. *c.* 1. *Nou.* 137. *ca.* 2. *adde c. prinſquam. cap. de ſyracuſana.*
[i] Traditio eccleſiaſtica.
[k] Hoc innuit, traditionem fuiſſe eccleſiaſticam, vt qui creandi ſacerdotes eſſent vel cœlibatum vouerent, vel ſi eum vouere non poſſent, vxorem prius ducerent, & ita miniſterium ſuſciperent.
[l] Hoc innuit, tollendam eſſe ſui temporis, vt inquit, conſuetudinem, quę ſacerdoti, intra biennium ſacerdotij adepti, vxoris ducendæ poteſtatem faciebat, reductà, vt inquit, veteri conſuetudine qua futuris epiſcopis matrimonium permiſſum, non tamen electis *leg.* 45. *Cod. de epiſcop. V. Nouell.* 79. *ȷ. cod*

vetus eccleſiæ & antiquitus traditum præſcriptum [a] dehinc creationes procedant. Neq; enim dignum eſt, vt qui ſpirituali aſcenſu ſupra corporis abiectionem & ſordes euecti ſunt, hi rurſum ad carnis [b] ſordes delabantur: ſed è diuerſo, vt diuinum miniſterium ex corporis ſordib' tanquam in altum aliquem gradum conſcendat, conuenientius fuerit.

VT NON MODO VNIVERSALIS [c] eccleſiæ ſacerdotes, verum etiam qui ad quamcunq; ſacram ædem pertinent, ſi in hoc vocentur, licite ſacra myſteria † exponere, diuinumq; cultum celebrare domi priuatæ poſſint.

*CONSTITVTIO IIII.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ vniuerſali.

PLACVIT veteribus, vt quæ ſacrificia & communiones in priuatis ædibus fiunt, ab illis ſacerdotibus, qui ad generales [d] eccleſias pertinent, ſolis celebrentur: ab alijs verò qui alicui alij ſacræ ædi addicti deſeruiunt, priuatoque vitæ in ſtatu ſunt, vt nullum neque officium neque ſacrificium perficiatur. Atque hoc quidem vt ſtatuerent, religionis conſeruandæ cauſa in mentem illis veniſſe videtur, quo videlicet (vt conijcere eſt) dum nonnulli ſacerdotij prætextu lethale defectionis malum tegunt, vſu non veniat, vti qui profanati ſacrificij participes fuerint, longè magis contaminentur quàm expientur. Qui profectò eorum qui iſtiuſmodi religioni cautionem excogitarunt, propoſitus finis hoc ipſo nomine φ ſacroſanctæ fidei ſtabilimentũ adinuenerint, ſimul laudabilis, ſimul cõmẽdatione dignus eſt. Veruntamẽ quaten' ſe firmitatẽ allaturos exiſtimarunt, eatenus illam ex lege promanaſſe atq; ſe extendiſſe non videas. E diuerſo verò ſubinde illam ipſam legem religioſis & diuinis miniſterijs operam nauantibus etiam aduerſari conſpicitur. Vt autem pollutus ſacerdos, qui notus nõ eſt, pollutæ ſuæ inquinationis aliquem participem faciat, veriſimile fortaſſe eſt aliquando id euenire. Verum non ita vt ſemper & omnino tale quiddam contingat. Quis enim animo tam facili eſt, tamque omnia promiſcua habet, vt quem non norit ſacerdotem, neque cuius religionis neq; quibus moribus ſit, hunc ad ſacrificandum aduocet? Rurſum verò qui defectionem moliuntur, remq; ſacram profananter faciunt, ne illi cum alienis ab impietate conuentus agere non velint. Vt vnde ſtabiliri lex videtur, non inde quemadmodum exiſtimatum ſit, ſtabiliatur. Tum & religioſis in multis vtilitatibus conſequendis eandem impedimento eſſe comperitur. Siquidem cum diuina gratia in omnibus ferè omnium non modo potentiorum, verum etiam tenuiorum domibus ſacraria [e] Deo erecta ſint, & verò ſumptus reliquaque ad rem familiarem neceſſaria ſacerdotibus ab omnibus ſimiliter ſuppeditari non poſſint: euenit propter legem, vt (quemadmodum dixi) qui tenuiores ſunt quam vt priuatim ſacerdotes ſuſcipere poſſint, perſæpe diuinorum myſteriorum expertes maneant, & ſacra [f] delubra, quæ in illis ſacrificia fieri debeant, his defraudẽtur. Quin veriſimile etiam eſt, nonnunquam defunctorum [g] memoria inſtante, ob defectum ſacerdotis præſentem memoriæ diem nullo facto ſacrificio [h] elabi: vt inde & qui hîc viuunt, & quos altera vita tenet, vtriſq; non exiguum damnum obueniat. Statuimus igitur, *Vt non ſolùm* generalis eccleſiæ ſacerdotes, ſed etiam qui ad quamcunque aliam ſacerdotum domum pertinent, quibuſcunque cuiuſque domus dominis accerſitis acceſſum ad ſacra oratoria & ſacrarum rerum functionem [i] dare voluerit, in quibuſlibet ædibus ſacrificandi [k], Deiq; arcana enarrandi facultatem [l] habeant †.

NE QVIBVS, POSTQVAM MONAſticæ vitæ inſtitutum ſubierint, facultates ſuppetunt, in vniuerſum hi de illis teſtari prohibeantur: ſed vt ſi, quo tempore monaſterium adierunt, in id quidpiam contulerint, in illorũm poteſtate ſit, vt quemadmodum velint, de ijs quæ ſibi poſtmodum pararunt, in plenum aſſem etiam teſtamentum condant: ſi verò nihil ab initio intulerint, tum vt de beſſe ſtatuendi facultatem habeant: monaſterium autem alteram partem ſiue trientem accipiat.

*[a] de quo ſupr. dixi.*
[b] nuptias intelligit. Idem penè dicitur *in l. 4. §. 1. Ver. oportet Co. de epiſcop.* quod parum honeſtè dictum videtur τίμιος γὰρ ὁ γάμος ἐν πᾶσι *Hebræor. 13. Verſ. 4.* ſimile eſt quiddam Syriaci *diſtinct. 82. c. 4.* & Innocentij *diſtinct. 28. c. 2.* & Gregorij diſtinct. 28. c. priuſquam.
[c] καθολικῆς.
† ἱερὰς μυσταγωγίας καὶ λατρείας ſi ita eſt, Nouella Iuſtiniani 58. abrogatur. Interim hoc innuere videtur, ſacerdoti in priuatis domibus permitti ἱερᾶσθαι καὶ μυσταγωγεῖν. vt hæc Nouella ptineat ad ſacrificia & adminiſtrationem verbi *c. clericos diſtinct. 1. de cõſecrat.* vt & Nou. 15. ĩ. ad baptiſmum.
[d] καθολικῆς.
[e] quæ Græcis εὐκτήεια.
[f] ἱερὰ τεμενίσματα.
[g] κεκοιμένων.
[h] de ſacrificio pro defunctis aliàs dixi.
[i] ἱερατείαν.
[k] ἱερᾶσθαι, intelligit ἐκκλησιαστικὴν λειτουργίαν vt *Nouel. 131. c. 8.* actum ſacrificandi.
[l] μυσταγωγεῖν.
† & ita abrogatur Nouel. 58. Nou. 131. c. 8. Olim ſine cõſenſu epiſcopi q in priuata domo vel poſſeſſione ſacrificaſſet Canones notabãt vt *παρασυνάγωγον Balſamon ad cap. 31. ſynodi 6. in Trullo: adde c. clericos diſtinct. 1. de conſecratione.*

*Aliter,*

VT MONACHVS [a] DE ACQVISITIS teſtari poſſit.

*CONSTITVTIO V.*

Idem Imperator Stephano [b] ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ vniuerſali.

QVONIAM de monachorũ bonis quæ poſt ſuſceptam vitam monaſticam coaceruaſſent, perſæpe nobis vna cum Dei amantiſſ. ſub te primarijs ſacerdotibus dubitare te (ô diuinum, &, vt mundo præluceas, in magno eccleſiæ firmamento à principe lumine collocatum lumen) dixiſti, an conſtitutione facta monachos iſtiuſmodi bonorum dominos deſignari oporteret, an verò ipſos ab illorum dominio arceri conueniret: nimirum quòd tanquam nubes, quę iſtinc ambiguitas exiſtit, rationis radios, quo minus perſpicuè ea res dijudicari poſſit, ſubeat & offuſcet: quoniam (inquam) de hoc dubitantes varijs nos poſtulationibus ad huius rei conſiderationem vna vobiſcum ſuſcipiendam hortati eſtis: nos, vt in alijs, ita & hic ſacerdotalem tuam dignitatem venerantes, ad ſatisfactionem petitionis tuæ accingimur. Ac illa quidem primum à nobis dicantur, quæ à veteribus [c] de illis qui ſe iam in monaſticam rempublicam [d] adſcribi volunt, conſtituta ſunt: illis nempe de rebus ſuis prius teſtandum eſſe, ac deinde ad concupitum vitæ inſtitutum procedendum, nec diſpoſitionem rerum ſuarum vitæ mutatione anticipandam. Nam ſi hoc ita eueniſſe conſtet, non amplius ipſis iam tonſis vt de rebus ſuis quicquam ſtatuant permittendum eſſe: omnemq; ſubſtantiam, in qua eccleſia tonſi ſunt, illi ceſſuram. Quod ſanè de ijs qui vitam monaſticam iam ſubierunt, decretum (extraquam ſi liberi qui hæreditatem petant, ſuperſint) & optimum: & ita, vt nemo poſſit melius, conſtitutum eſt: tum nec addi nec adimi illi quicquam queat. Etenim qui ante mutatam vitæ rationem, quum bonorum diſpoſitionem in arbitrio ſuo poſitam haberet, de ijs ſtatuere noluerit: meritò poſtmodum id facere prohibetur, vti qui ſe ipſe in has anguſtias coniecerit. Propterea enim φ quum licitum ipſi eſſet prædiſponere res ſuas teſtamento noluerit, eius poſtea faciendi facultatem, tanquam ab ipſo damnatam, ſibi adimi, id verò iure longè optimo ſuſtinet. Cęteroquin etiam, quomodo nõ abſurdum fuerit, ſi qui ſe ab huius vitæ curis ſeiunxerit, illarum adhuc onus ſufferat, indeq; promanante moleſtia prematur? Liberos igitur qui in monachorum numerum adſcriptus eſt (quemadmodum dixi) quando non habet, non profectò hoc decretum decreto alteri cedat. At ſi liberi ſuperſint (non enim tunc illos propter parentis ſilentium damno affici fas eſſet) non omnino teſtamenti ordinationem monachicus habit' impediat: ſed manifeſtum eſt quòd [e] de liberorum portionibus teſtari poterit, quæ illis æquabili legitimaq; diuiſione attribuentur. Quæ verò pars ad ipſum reſpicit, in ea teſtamenti factio deficiat: quippe quę integra ad monaſterium pertineat. Cæterùm ſi mors etiam (vt multi ſunt rerum humanarum caſus) ſubito ſuperueniens rerum diſtributionem intercipiat, neque tunc quidem quæ liberis ſuccurrat diſpoſitio omnino conticebit: ſed ſecundum dictum modum, quæ ad illos pertinent legitimo ipſis iure ſeparabuntur: reſiduum autem inuolabit monaſterium. Atque hæc quidem de hiſce facultatibus, quas ante ſuſceptam vitam monaſticam habuerit quiſquam. Verum de quo paterna veſtra beatitudo prodire decretum petijt (de ijs nimirum rebus quæ poſt monaſticæ vitæ ſuſceptionem acceſſerunt) de eo hoc ſtatuimus, vt inde ab eo tempore ex quo monaſticæ vitæ rationem ſuſceperit, conſideratione procedente, quæ poſtmodum ab ipſo comparata ſunt diſcernantur. Non enim quòd qui à profana vita ad monaſticam tranſit, niſi prius teſtetur, teſtandi poſtmodum facultate priuatur: ideo & de ijs quæ poſtmodum conquiſierit, quicquam ſtatuere in vniuerſum prohibeatur. Illic namque iure teſtamenti factione priuatur: quia quum ipſi in profano ſtatu res adhuc tractanti aliquid conſtituere integrum eſſet, eo ipſo quod id non fecerit, ſe ipſe in [f] has anguſtias circumcluſerit. hîc verò nihil ſimile eſt, vt quiſquam aut à ſeipſo, aut ab alio prohibeatur. Quod ſi quis dicat, hoc ſolo nomine quod monachus ſit, monaſterium omnia eſſe percepturum: haud ſcio, ſi iſtiuſmodi, quæ monachos deceant, ſtatuat. Primum enim an qui

[a] *περὶ τοῦ διατίθεσθαι τὸν μονάσοντα, &c.*
[b] quem Cedren' in Leone vocat *στέφανον σύγκελλον*, Leonis *ἀδελφον.* cui mortuo ſucceſſit Antoni' cognomento Cauleas.
[c] Iure veteri monachi teſtari non poterant *Nouel. 5. ca. 5. Nouell. 76. Nouell. 123. c. 38.*
[d] *τῷ μοναστικῷ βίῳ.*
[e] *ḡ. Nouell. 76. in fin. Nouel. 123. c. 38.*
[f] *adde l. 7. §. 1. ff. qui ſatiſdare: l. 2. §. 8. ff. ſi quis cautionibus.*

homines opum contemptum profeſſi ſunt, hos ita illas amplecti, ac quacumq; ratione retinere conuenit? Deinde ſint alicui cognati pauperes, alioquíve noti, qui conſolatrice manu indigeant: quomodo non ab omni humanitate alienum, nullo illos ex cognati rebus ſubleuamine dignari, tanquam non modo peregrinos, ſed & cognatos amicoſq; propellere, atque omnia ad ſe trahere, monachis decorum ſit? quemadmodum helluones [a] voraceſq; homines nullam omnino partem alijs qui vna accumbunt, relinquere velle videmus. Neque enim ſeruus ſeruitutis vinculis liberatur, neque egenus commiſeratione potitur, non alius quiſquam neceſſitatibus preſſus conſolationis fructum inuenit, quum omnes monachi facultates monaſterio dantur. Ac propter hoc ſanè ſtatuimus, *Vt ſi quis, quo tempore* monaſticam vitam ſuſcepit eccleſiæ quidpiam conſecrarit, illi circa res poſtmodum comparatas liberum ratumq; iudicium ſit [b] quomodocunq; de illis ſtatuere velit: ſin nihil omnino ab initio in monaſterium allatum ſit, tum vt bifariam ſubſtantia diuidatur, ita vt vna pars in beſſem, altera verò in trientem circumſcribatur. ac monachus quomodocunque ipſi viſum fuerit de beſſe teſtamento ſtatuat: triens autem applicetur monaſterio. Atque hæc quidem, de quibus requiſitis noſtra decreuit potentia. Oportebit autem tuam beatitudinem, quæ decreta ſunt, omnibus ſub ipſa Dei amantiſſ. metropolitanis facere manifeſta: & hos ſimiliter ſub ſe conſtitutis Epiſcopis, illoſque quarum curam ſortiti ſunt eccleſijs iſta indicare: quo videlicet & in præſens & in futurum hæc ab omnibus tum cognoſcantur, tum hunc ad modum fiant.

[a] helluonis natura.

[b] & ita abrogatur Nouella 5. *cap. 5. Nouell.* 123. *c.* 38.

VT VTRVNQVE TEMPVS TVM quod ſancta ſexta conſtituit ſynodus, tum quod decernit diuus Baſilius, in ijs qui monachi fieri ſtatuunt, obſeruetur: & bonorum eius qui à ſynodo præſtituto tempore monachus fit, diſpoſitio ſecundum editam à nobis formam procedat.

*Aliter,*

VT DECENNIS [c] PVER IN MONAchorum numerum aſſumatur.

*CONSTITVTIO VI.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ vniuerſali.

QVO tempore eos qui monaſticam vitam ſubire deſiderant re concupita potiri oporteat, id quia non vnum atque idem, ſed aliud atq; aliud à diuinis noſtris patribus præſtitutum ſit, vt ad hunc etiam tractatum dijudicandum, & quæ ſubeſſe videtur contrarietatem conciliandam me componerem, effectum eſt. Itaque quæ magnus ille ac admirandus decernit [d] Baſilius (vt videlicet qui monachicum habitum ambiunt, decimoſexto primum aut decimoſeptimo ætatis anno digni illo habeantur) quæq; ſancta ſexta [e] mandat [f] ſynodus, anno decimo, qui iſtiuſmodi vitam capeſſerent, ſuſcipiendos eſſe monens: hæc cum ſanctiſſ. Patriarcha Deique amantiſſ. metropolitanis diligenter expendentes, neutram ſacrarum legum diximus eſſe contemnendam: ſed contra ad vtrumcunque tempus religioſo habitu qui illum ſumere cupiunt dignos haberi iubemus. De bonorum autem diſpoſitione peculiarem ſententiam pronunciauimus, *Vt nempe qui* ſextodecimo aut decimoſeptimo tonderi voluerit, de rebus ſuis quomodo velit, ſtatuere [g] poſſit. Exiſtimo enim, propterea etiam magnum illum Baſilium hoc tempus huiuſmodi actioni tribuiſſe, quod ad id legitimæ ætatis requiſitio ad ſtatuendum de rebus ſuis impedimento non ſit. Qui verò decimo anno in monaſticæ vitæ ſanctimoniam mutato ſtatu tranſire in animo habeat, vt neque huic ſalutaris conatus impedimentum aliquod obuiet (hoc enim, vt videtur, & ſacra ſynodus intelligens, ac volens, tempus quo vitam monaſticam adire eſſet ampliauit) *ne tamen is* quo modo iſtiuſmodi vitam ineundi, ſic etiam de rebus ſuis teſtandi facultatem accipiat: ſed donec illud tempus, quo legitimam plenamque ad teſtandum ætas poteſtatem capit, aduenerit, à diſponendis rebus inhibeatur. Quòd ſi (vt ſunt res humanæ) ante illius temporis completionem è vita exceſſerit, ſerui eius omnes à ſeruitute liberentur: reliqua verò bona bifariam diuidantur, in beſſem & trientem. ac beſſem quidem monaſterium auferat, triens autem defuncti cognatis detur. Quorum ſi nulli ſupererunt, quò bes proceſſit, eo triens quoq; abeat.

[c] adde Vigelium 3. *methodi iuris Pontificij* 4. *num.* 35. Ab infantia potuiſſe monachos fieri conſtat ex lege 53. *Co. de epiſcop.*

[d] in epiſtola ad Amphilochium canone 18.

[e] in Trullo.

[f] *canone* 40. *Vbi vide Balſamonem.*

[g] id eſt teſtari *adde Nouell.* 6. *ſ. eod.*

VT QVOTIESCVNQVE A CLERIcorum habitu ad profanorum tranſire per vecordiam aliquis tentarit, in illum is inuitus etiam reſtituatur.

*Aliter,*

NE CLERICVS DENVO PROfanus [a] fiat.

*CONSTITVTIO VII.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ vniuerſali.

QVEMADMODVM antehac, quando certiorem firmioremq; rerum conſtitutionem inueſtigaremus, ſi ciuilis lex plus roboris ac firmitatis, quam eccleſiaſtica prębere videretur, illi prærogatiuam dedimus: eo modo & hîc decretum ſacrum rectæ rerum moderationi, quàm ciuile ſit, cõducibilius fore intelligentes, illi per aſſenſionem conſona præſcriptione edita, ſtatuimus, *Vt quicumque clericorum* habitum mutare profanorum habitu improbe inſtituerit, is quotieſcunq; actus fuerit in iſtiuſmodi vecordiam, ſecundum eccleſiaſticum decretum, quantumuis inuitus in clericorum habitum [b] reſtituatur: tametſi qui eccleſiaſtici ordinis ſtatum recipiat, dignus non ſit, vti qui ſe ipſe illo indignum transfugio conſtituerit.

[a] περὶ τοῦ κληρικὸν μὴ γίνεσθαι αὖθις λαϊκόν *Scrimger.*

[b] *V. Nouell.* 8. *ſ. eod.*

VT QVI REIICERE VENERANDVM monaſticæ vitæ [c] habitum in animum induxerit, ac pro illo profanorum [d] habitum ſuſceperit, quotieſcunque hoc facere auſus fuerit etiam inuitus in illum reſtituatur: & ex quo monaſterio improbè aufugerit, eidem reddatur.

*Aliter,*

DE [e] EO QVI VITAM MONASTIcam deſerit, qui præſidum cohortibus [f] aſſcribi ſolet.

*CONSTITVTIO VIII.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ vniuerſali.

QVVM alioqui, qui incompoſitè viuere inſtituunt, ac præ laudatis moribus ſectantur vitioſos, quotieſcunque flagitij quicquam deſignaſſe deprehenſi ſint, malum ipſorum inſtitutum multifariam coerceatur, nec improbam ſceleſtamque voluntatem ac molitionem correptione vacare toleretur: ſubit mirari, quomodo lex vetus ijs qui monaſticæ vitæ exercitationi ſe mancipaſſent, deinde vero ſtationem ſuam & ordinem deſeruiſſent, quomodoque ſacræ [g] literæ habent, tanquam [h] canes ad ſuum ipſorum vomitum, aut ſues ad priſtinæ vitæ cœnoſam cloacam reuerſi eſſent, ac profanorum in habitu ſtatuq; ſeipſi collocaſſent: improbum hoc ſcelus tentari omninoque perfici permiſerit. Iubet enim, vt qui ſemel monaſticæ vitæ inſtitutum reliquerint, vnde flagitioſè exiſſent, reuerterentur: qui verò iterum [i] id auſi eſſent, ex eo tempore pulſi monachatu, inter cohortales prouincialis cohortis recenſerentur [k]. Atqui ſi, vt deſertor ordinis profanorum habitu indueretur, id illi ſtatutu pulchrum viſum fuit, quid cauſæ eſt, cur ipſum ab initio ita non veſtierit: ſed vt qui monachus profeſſionem ſuam ſemel deſeruerit, is ad illam quamlibet inuitus denuo cogeretur, conſtituerit? Si hoc ita præcipi decorum putauit, quare in eodem decreto non conſiſtit, ſed tanquam ipſum placiti ſui pœniteat, miſerum illũ monachum ad militarem vitam protrahit? Nequaquam verò id nobis eſſe fas videtur,

[c] τῆς μονήρους πολιτείας.

[d] τὸ λαϊκόν.

[e] Græci ita legunt περὶ τοῦ συνταξαμένου, καὶ ἀθετήσαντος τὸν μονήρη βίον.

[f] Arcadius & Honorius *in lege* 53. §. 1. *Co. de epiſcopis:* ſed & poſtea Iuſtinianus, monachũ deſertorem addici voluerat cohorti præſidis prouinciæ *Nouell.* 5. *c.* 6. poſteaidẽ Iuſtinianus monaſterio reddi iuſſerat, nõ cohorti addici: niſi plus ſemel monaſteriũ deſeruiſſet. *Nouel.* 123. *ca.* 42: 4. *Eclog.* 1. *c.* 15. Hac autẽ Nouella cohorti nunq̃ addicitur.

[g] *Prouerb.* 26. *Verſic.* 12. & 2. *Petr.* 2.

[h] nota genus prouerbij.

[i] *Nouell.* 123. *c.* 42.

[k] ſic ſolebant clerici deſertores cohortibus addici *Nouell.* 6. vt apparitores pręfecti vrbi, corpori piſtorum *leg.* 2. *Co. de apparitoribus præfecti Vrbi:* diſſimiliter cohortales addicebãtur Curiæ *l.* 38. *Cod. de decurionib.* vel ſuarij piſtrino *l.* 19. *Co. de pœnis.* Nam huiuſmodi mutatione cohortalium aut ſuariorũ conditio deterior non fiebat.

neq;

† & ita abrogatur *d. Nou.* 5.*c.*6.*Nouella* 123.*ca.* 42. *lex* 53.§.1.*C. de epiſcopis : lex* Ѵlt.§.4.§.5.*in fi.C. de epiſco. aud.*

[a] Monachiſmus diuina militia.

*neq;* † *qui* in diuinæ militiæ [a] legiones receptus ſit, hunc in mundanis militijs placet collocari. At contrà, quod eccleſiaſtico ordini obſeruari debere viſum eſt, vt ſi quis ſæpius vitam monaſticam aſpernatus vagetur, huic profanum habitum recipere non concedatur, id per legem etiam nos iubemus. Si enim qui vitam monaſticam exuit, mundanæ voluptatis velut aſilo concitus id facit: quæ ratio eſt, tametſi ſemel cupiditatis ſuæ motu prohibitus ſit, quum ſi rurſum ad hoc faciendum animum appellat, ſe ad finem inſolens ſuum cõſilium perducturum, ac in profanorum ſtatum recipiendum eſſe ſciat, vt is nõ omnib⁹ modis monaſticæ vitæ inſtitutum iterum communi viuendi modo mutet?

[b] *adde Nouel.* 123.*ca.*17.

## DE SERVO QVI IGNORANTE[b] DOMINO clericus factus eſt.

### *CONSTITVTIO IX.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. vniuerſalique Conſtantinopolitano Archiepiſcopo.

EIDEM rectæ rerum eccleſiaſticarum conſtitutionis curæ inſiſtentes, quæque ſacroſanctis canonibus placuerunt, hiſce nos etiam album calculum adijcientes, ab aduerſarijs ciuilibus legibus hanc contradictionis pœnam, vt ex legitimis cõſtitutionibus ſubtrahantur exigimus. *Vt enim qui*, cum ſeruilis conditionis eſſet, ignorante domino venerandam ſacerdotij dignitatem aſſumpſerit, nudatus iſtinc promanante honore, in priſtinum ſeruitutis reſtitueretur ſtatum, ſecundum [c] eccleſiæ Dei voluntatem & nos conſtituimus [d]. Legem autem, quæ ſeruum ignorante domino ſacerdotem factum, ſeruitute liberat, huc vt neq; effectum [e], neque fandi facultatem habeat redigimus.

[c] *adde epiſto. ad Philemon.*

[d] Ѵ.*d.c.*17.

[e] ἀνενέργητόν τε καθιςῶμεν καὶ ἀπαῤῥησίαςον.

## DE SERVO QVI INSCIO DOMINO monachiſmum ſuſcepit.

### *CONSTITVTIO X.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ vniuerſali.

QVAM præſtans monaſticæ vitæ profeſſio ſit, quique ſuaue illud & beatum iugum ſuſcipiunt, quanta illi reuerentia & honore digni ſint, ſcimus quidem & ipſi. Itaq; non quo illum vituperemus, ſed potius quo vituperationi eximamus, hæc ſtatuere viſum eſt, & cenſemus. Quanto enim illa admirabilior diuiniorque eſt, tanto maiore, & quidem quanta maxima attingi cum veneratione, nequaquam verò ingratitudinis & improbitatis velamen ac prætextum monaſticæ vitæ dignitatem fieri oportet. Et certè quomodo improbitas dicenda non eſt, ſi homo ſeruus dominum ſuum fugiens, ad illud vitæ inſtitutum deueniat? Quoniam igitur de ſeruis fugitiuis ad vitam monaſticam deuenientibus, ſtatutum à ſuperioribus [f] eſt, vt ſi intra tres annos fugitiuus manifeſtus fiat, illum habitu nudatum recipiendi facultatem dominus habeat: ſi verò vſque in tertium annum incognitus manſerit, tametſi poſtmodum agnoſcatur, vt domini poteſtati non obnoxius ſit, præterque illius voluntatem liber nuncupetur: & verò inde multos fugiendi dominos ſuos occaſionem cepiſſe, ac re honeſta, monaſticæ vitæ profeſſione, ad tegendam malitiam abuti videmus (cuilibet enim ſeruo perfacile eſt, vt ad triennium ſe occultet, deindeque libertatem conſequatur) iubemus, *Ѵt quantocunque* tempore ſeruus tali conſilio monachus factus delituerit, ſi ipſum aliquando dominus inueniat, nihilominus is quem malo propoſito habitum ſumpſit, hoc exuatur, rurſumque in domini poteſtatem ſubigatur. Nam quod pio affectu habitum illum ſumpſerit, quantumuis id verbis ipſe fingat, ne dici quidem poteſt. Siue enim cum beneuolo placidoque domino vteretur, pro amore, odio concepto, fugere decreuerit: extremæ ingratitudinis & improbitatis argumentum habes: ſiue (vt ſunt res humanæ) moleſtijs & iniuria affectus non tolerarit, ac idcirco dominum deſeruerit, quomodo eam rempubl. magnificiet, quę ciues ſuos in *Chriſti* crucem & mortem continenter reſpicere vult?

[f] *Nouell.*5.*ca.*2.§.1.*Ѵerſicul.* triennij vel ſemel expleto tempore.

## DE SERVO QVI IGNORANTE DOMINO epiſcopus factus eſt.

### *CONSTITVTIO XI.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ vniuerſali.

QVOD de ſeruo [a] qui venerandam ſacerdotij dignitatem furatus ſit, idem & de illis ſeruis quibus neſciente domino ad primarij ſacerdotij honores conſcendere viſum eſt, ſtatuimus: vt videlicet ſecundum eccleſiaſticæ conſtitutionis voluntatem, exauthorati, honore in quem clam irrepſerint priuentur, & ad ſuum ſeruilemque ſtatum reducantur. Non enim profectò qui alijs in rebus furto vel fraude aliquid ſubtrahunt, his non modò ea quæ ſubtraxerint retinere non concedemus, ſed interdum etiam vt maleficos puniemus: & qui tantarum rerum furta audent, hos inde honeſtè viuere, & ex vno fraudis peſſimo exercitio duo omnium longè pretioſiſſima, libertatem & ſacerdotij prærogatiuam, lucrari ſinemus. Ergo ſi quis ſeruus ignorante domino epiſcopus creatus ſit, inde ad ſeruitutis effugium nil iuuatur.

[a] *Nouell.* 9. Ѵ. *eod.*

## DE OFFICINARVM[b] MAGNÆ eccleſiæ vſu.

[b] *Nouell.* 41. *Nouell.* 59.

### *CONSTITVTIO XII.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ vniuerſali.

CONSTANTINVS[c], is qui primus *Chriſti* nomine Imperij coronam ſplendidiorem ac Auguſtiorem reddidit, vbi etiam dignum alijs ſuis præclaris facinoribus Imperatoriaque cura fore proſpexiſſet, de ſepultura *nempe* eorum mortuorum quos in ea etiam re egeſtas premeret, officinas [d], ex quarum vectigali neceſſarios ad humandos mortuos ſumptus ſuppeditandos ordinaſſet, ſanctæ Dei eccleſiæ applicauit. Hanc igitur prouiſionem quum piorum hominum ęmulatio poſtmodum excepiſſet, quæ & ipſa pauperibus ad ſepeliendum ſufficeret, permultum illa in hunc vſum ſumptus auxit. Verum nunc omnino nihil ea ſolicitudine, qua initio ter ille quaterq; beatus princeps voluit, diſpenſari inde videas. At nos, & ſcientes quidem quòd poſtquam eccleſia officinarum vectigalia occupauit, tametſi (quòd vſus non poſtulet) in quem ab initio conſtitutum eſt, Numinis cultum illa non expendat, in aliud tamen quodpiam miniſterium, & ipſum ad Numinis cultum pertinens, prorſus illa diſpenſet: ſtatuimus, *Ѵt quæ de his* iam olim edita conſtitutio [e] eſt, immota & inuiolata permaneat. Officinæ autem omnes quæ in hoc miniſterium attributæ ſunt, ſupra mille numero ſunt ad centum.

[c] Ѵ. *d. Nouell.* 43. *in prin.* & *Nouell.* 59. *in princ.*

[d] Officinarũ magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ reditus ſepulchrorũ ſumptibus deputati.

[e] *Nouell.* 43.

## DE PERPETVIS EMPHYTEUſibus[f].

[f] quidã legũt περὶ ἀνανεώσεως v. Cui. 1. Feud. 5.

### *CONSTITVT. XIII.*

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtantinop. Archiepiſcopo, & Patriarchæ vniuerſali.

REM fraudulentam ſimul & illicitam, conſecratarum Deo ædium (eccleſiarum videlicet, hoſpitiorum, & viduis pupilliſque alendis deſtinatarum domuum) præfectos etiam audere ad noſtras delatum eſt aures. Narratum eſt enim, quum domus elocatæ ſint, iamq; tempus pacto cõſtitutum decurrat, quãdo locationis terminus, ac poſſeſſionis reno-

uatio [a] inſtat, non fieri certam aliquam & ſtatutam ſolutionem, quam peculiari nomine εἰσδεκτικὸν [b] vocant: ſed quomodo prefectis pro ipſorum auaritia viſum ſit, ita exactionibus domuũ poſſeſſores prægrauari. Id igitur cum omnibus graue tum pauperioribus (quod ita ipſis durior egeſtatis neceſſitas imponatur) longè eſſe acerbiſſimum videtes, ne id ampli⁹ fiat, lege cauemus: ſed *Vt certa* quantitate ad [c] duplum emphyteutici vectigalis conſtituenda ſolutio definiatur: & inſuper omnis illatio locationis inſtrumentis inſcribatur, domuique nulla nouatio adferatur: non verò in præfectorum quæſtum interuertatur, dũ illi nõ vt domuum vtilitati conſulant, ſed ſceleſtè ſibi lucrum parent, hoc agunt.

## DE[d] IIS QVI MONASTERIVM imperfectum relinquunt.

### *CONSTITVT. XIIII.*

*Eidem.*

QVI præcipitanter ambitioſeque ad faciendum aliquid fertur, ac ipſo in initio viribus ac facultate deſtituitur, ſiue manifeſtum vitium, ſiue benignitatis ſpeciem conatus præ ſe ferat, ſimul ille reprehenſione dignus, ſimul aſpernandus eſt. Hoc ſanè & qui ſimilitudines ab initio prouerbiaque loquitur, Dominus noſter & Seruator in Euangeliis vult, vbi de ædificatione vrbis & abſolutione, ac de ſimilibus ſermocinatur. Meritò igitur & ſacræ leges [e] & ciuilia decreta ſimiles edunt, eiuſdemq́; ſenſus admonitiones, vt quicunq; monaſterium conſtruere inſtituerent, ſi ad perficiendum opus pares non eſſent, id aggredi prohiberentur. Oportet enim quaſcunq; res, vbi ad perfectionem peruenerint, tum demum conuenientem appellationem indipiſci: nequaquam verò nomen rebus imperfectis, vt conſummatæ conſtitutionis ſint, præſtare poteſt. Itaq; (quod dictum eſt) rectè ſacra ciuiliſq; lex eos qui ad rem abſoluendam pares non ſint, fabricandi monaſterij inceptione prohibet. Verum quoniam incognitum illud eſt, quando monaſterium ſufficienter abſolutum iudicari debeat (non enim expreſsè ab illis huiuſmodi abſolutio definita eſt) hac de re certum atque euidens edictum promulgare placuit. Dicimus igitur (quoniam diuinum os loquutum [f] eſt: *Vbi duo aut tres in nomine meo congregati ſunt, ibi in medio illorum ſum*) *quod opus aliquod* monaſterij appellationem ſubiturum, minimum [g] tribus ſufficere oporteat: quod nimirum idem opus, ſi facultatibus quoque abundè inſtruatur, ad celebritatem nominis etiam valeat. Vt ergo quis liberam impedimentoq́; carentem ad dedicandum monaſterium aggreſſionem habeat, in tot minimum monachos dedicationem concipiat neceſſe fuerit. Porrò quia permulti, qui ſe iſtiuſmodi inœpto dedunt, præueniente morte, ipſoſq́; hominum conſortio eripiente, interdum propoſito deſtituuntur: illud à nobis ſtatuitur, *Vt ſi teſtamentum conditum ſit*, quæ in illo eccleſiæ aſſignata ſunt, ea illi cedant. Si verò (vt identidem ex mortis incertitudine contingit) *antequam de rebus ſuis ſtatueret* euectus fuerit, tum ſi ad tres numero liberi ſuperſint, quadrantem bonorum inuolabit monaſterium: ſin vltra ternarium numerum ſobolis multitudo procedet, liberis connumerabitur monaſterium, & deducto ære alieno, ex vniuerſa ſubſtantia, quantum ipſorum quiſque, capiet. Quod ſi defunctus ſine liberis deceſſerit parentes autẽ ſuperſtites habeat, rebus bifariam diuiſis, vna pars parentib⁹, altera monaſterio applicabitur, At ſi neq; parẽtes neq; liberos hæredes habeat, & cognati ad hæreditatem prodeant, ipſi quidem quotcunq; fuerint, trientem inter ſe diſtribuent, bes verò eccleſiæ accedet. Verumenimverò ſi aut per obliuionẽ, aut aliam quampiam cauſam, in contrariam laudabili legitimoq́; propoſito teſtamentum ſententiam conceptum ſit, vt eius loci antiſtes Dei amantiſſimus, quantum ad eccleſiæ, eorumq́; qui in illa aſſeſſuri ſunt, ſuſtentationem ſuffecerit, vendicet, de reliquis verò legum præſcriptio & teſtamentum dijudicent.

[a] ἀνανεώσεως *Scrimger.* Cui. *d. loco* videtur legiſſe ἀνακάμψεως idemq́; putat hunc locum de precaria accipiendũ. hinc illud Caroli magni 4. *leg. Francia,* Si quis in cẽſibus reddendis & precarijs nouãdis negligẽs fuerit. Precaria nõ eſt eadem cum libellaria, dixi *ad l.* 24. §. 1. *Cod. de ſacroſanct.* cum feudo, cum vſufructu, quin cũ ipſa emphyteuſi, quãuis illa omnia ſint vſusfructus. Idq; eo pſpicitur, ꝙ is qui dat, retineat ꝓprietatem ad inſtar pignoris, hypothecę, fiduciæ, ἀντιχρήσεως. quę omnia nõ eadem ſunt etiamſi in hoc vnum conueniant, ꝙ ſint pignora. Itaque, Cuiaci⁹ putat precariam eſſe ceſſionem vſusfructus rei immobilis, quæ fit clerico ad tẽpus vel dũ vixerit ea lege vt eccleſię miniſterium exhibeat. ꝓ vix eſt vt huic loco conueniat. videtur enim pertinere ad omnes omnino homines quib⁹ ius eſt ab eccleſia emphyteuſim accipere, non ad ſolos ſacerdotes.

[b] εἰσδεκτικόν, renouationis pretium. de mercedib⁹ dixi ad edict. 13. *Iuſtin. c.* 7.

[c] quænam quantitas εἰσδεκτικῶν eſſe debeat. [d] *adde Nou.* 77. *c.* 1. *Nouell.* 131. *cap.* 7. [e] *d. cap.* 1. *d. cap.* 7. [f] *Matthæi* 18. *Verſ.* 20. [g] Imò duo videntur ſufficere *l.* 12. *ff. de teſtibus.* ſed fortè id receptum fuit, quod duo familiam non faciunt *l.* 40. *in fine ff. de Verborum ſignificationibus.*

## VT SALVTAREM BAPTISMVM[a] IN quocumque ſacro oratorio peragi liceat. †

### *CONSTITVTIO XV.*

Idem Imper. Stephano ſanctiſs. Conſtantin. Archiepiſcopo & Patriarchæ vniuerſali.

ETIAM hic venerandæ ſextæ ſynodi [b] ſacer canon [c], qui non in priuatarum ædium oratorijs ſeorſum, ſed in ſolis in communem vſum conſecratis templis, diuinam regenerationis lotionem perfici vult, quum ſimilia cum illis iubeat, qui ſacroſancta ſacrificia & myſteria in priuatis domibus celebrari vetant [d]: ideoq́; à nobis iampridem conſideratius expenſi ſunt: tanquam illorum germanus ſimiliter correctionem conſequetur. Statuimus igitur, *quemadmodum de ſacrificijs*, ſic quoq; de ſalutifero baptiſmate, vt & ipſum in quocunq; ſacro oratorio quibuſlibet peragere licitum ſit. Nam hæc tam ſtrictè ſacrum ſynodo decretum conſtituiſſe mihi quidem videtur, propter eos qui quanquam ſacerdotum nomen gerant, profani tamen ſunt, & quos ad lauacrum adducunt, pollutos reddunt: qui (vt apparet) domos eiuſdem opinionis hominum ſubeuntes, nõ rem diuinam faciunt, ſed cum ijs qui conueniunt, inauſpicati aliquid moliuntur. Hanc verò prouiſionem tametſi & diuinam eſſe, & multa ſalutaria continere conſtet: non tamen illa ad impietatis plenos à ſuis vitijs coercendos ſufficiat. Nam & res audax eſt malitia, omniq́ue modo, clauſis etiam oratorijs, ad explendum propoſitum ſuum, ſuam inueniat viam. Verumtamen quum nunc diuina gratia omnes peruerſæ opiniones ſint profligatæ, etiam quantum ad hoc attinet, quamobrem reipubl. hoc decretum ad prohibendam in priuatarum ædium oratorijs regenerationis lotionem obtrudatur, nullam equidem eſſe neceſſariam cauſam video.

[a] ſuperius dixit περὶ τοῦ μὴ τὰς ἱερὰς μυσταγωγίας καὶ λατρείας οἴκοι ἐπιτελεῖν Nou. 4. nunc de baptiſmo.

† & ita abrogatur Canon 59. Synodi 6. in Trullo *adde Nou.* 58.

[b] *in Trullo* §. 17.

[c] 59.

[d] *Nouell.* 4. ſ. *eod. Nou.* 58.

## VT QVI VIGINTI[e] ANNOS HABET, Hypodiaconus creari poſſit.

### *CONSTITVTIO XVI.*

*Eidem.*

VETVS verbum, quod [f] de rebus ſuis dicenti aures eſſe aperiendas monet, cum in alijs omnibus per bellè ſeſe habeat, tum hic longè eſſe pulchrius apparet. At quorſum hoc? Ciuilis [g] lex ſtatuit, *ne minor* viginti quinque annis in diuinis officijs creetur hypodiaconus. Decretum ſacrum contra ſtatuit, vt qui ad iſtiuſmodi miniſterium accedit, hunc vigeſimus annus ad ordinationem perducat. Dignum itaque ſacram legem de rebus ſuis præcipientem audire Imperatoria noſtra maieſtas rata, & in eandem cum illa ſententiam deſcendit, & ſtatuit, *Vt qui* ad vigeſimum annum peruenit, modo anteactæ vitæ ratio obſtaculo non ſit, quantum ad ætatem, hypodiaconi officium ſuſcipere non impediatur.

[e] *Nouell.* 75. ſ. *eo. c.* 15. *ſynodi* 6. *in Trullo.*

[f] ne alioquin cum poeta dicatur, dedec⁹ ille domus ſciet vltimus.

[g] & ita abrogatur Nouella Iuſtiniani 123. c. 13.

## DE PVERPERIS QVANDO DIVInorum myſteriorum participes fiant: & quando infantes baptizentur, poſt quadraginta videlicet dies, extra quàm ſi neceſſitas vrgeat.

### *CONSTITVTIO XVII.*

*Eidem.*

ID quod beatitudo tua poſtulat, à vobis procedere, quam à nobis originem ſumere ac proficiſci, æquius fuerat. De re [h] enim ſacra ſanctitatem tuam ſancire oportebat. Verum quoniam ſuper vno duntaxat capite concilium conſultare (quum de multis decernere, concilij ſit) inconueniens eſſe, nos verò & citra concilium decretum facere poſſe dicitis: admonitionem ſuſcipientes, quibus de rebus poſtulationem inſtituiſtis, de ijs conſtitutionem emittimus. Quum itaq; Dominus & ſeruator noſter, quò ſplendore

gloriæ

[h] Cuiq; turpe eſt ius in quo verſatur ignorare *l.* 2. §. 43. *ff. de origine iuris:* 12. *Quintil.* 3.

gloriæ ipſius illuminarentur qui in tenebris ambulant, iuxta atque nos carnis atque ſanguinis noſtri particeps factus fuerit: valde (mea quidem ſententia) à ſalutifera ipſius prouidentia diuersè ſentiunt, quotquot eam quæ ex recenti puerperio decumbit, & morte [a] præ [b] foribus conſiſtente, nec diem quem ipſi expectandum autumant (quadrageſimum nempe poſt partum) expectante, citiusque óbtorto velut collo protrahente, corripitur: illuminatione [c] indignam eſſe opinantur, & vt ob corporis immunditiem [d] reuera illa è vita immunda excedat (quippe quæ in ſacris non inſtituatur [e], nec ſacri lauacri luſtrationis, regenerationisque particeps fiat) efficiunt. Neque verò illi periculi damnique magnitudinem, quam inconſiderata ipſorum & pernicioſa religio adfert, præ oculis habent. Verùm ea illa eſt abſurditas, vt oratione non indigeat. Talem enim mulierem incredulam reformationeque deſtitutam decedere, & iſtiuſmodi ob cauſam, pro eo quod inter ſeruandos collocanda eſſet, in perditorum damnatorumque locum reijci: quomodo fas, Deóve, qui per fidem in ipſum & in aqua Spiritúque regenerationem, ſalutem donat, non graue atque acerbum eſt? Vanam igitur iſtiuſmodi prudentiam dehinc in futurum è medio tollentes de mulieribus, quæ recens pepererunt, quæque naturali expurgatione occupatæ ſunt, ſtatuimus, *Vt ſi quidem* alia quacunque affectione morbida ipſarum vita non tentetur, vſque ad præfinitum quadraginta dierum tempus expertes maneant, nondum initiatę illuminatione [f]: ad ſacra receptæ & initiatæ, ſacroſanctorum myſteriorū perceptione. at ſi quis ipſis morbus, qui vitę internecionem minitetur, ſuperueniat & incumbat: ſacrarum rerum omnibus modis participes fiant. Etenim ſi illis [g] qui propter enormia flagitia multis annis viuifica communione arcentur, mors adobruens præſcriptum tempus incidit, neque quiſquam hos ſacrorum participatione prohibere ſuſtinet, qua ratione hæ propter naturales carnis ſordes prohibebuntur? Quod profectò non tam propter muliebrem hanc immunditiem, quàm ob alias cauſas in intima legis ratione reconditas, & veteri [h] prohibitum eſſe lege, & gratiæ tempus traditionis loco ſuſcepiſſe puto. Exiſtimo ſiquidem ſacram legem id præſcripſiſſe, quò proteruam eorum qui intemperanter viuerent, concupiſcentiam caſtigaret: quemadmodum & alia multa per alia præcepta ordinantur & præſcribuntur, quò indomitus quorundam in mulieres ſtimulus retundatur. Quin & hæc prouidentiæ quæ legem conſtituit voluntas eſt, vt partus à deprauatione liberi ſint. Quia enim quicquid natura ſuperuacaneum eſt, idem corruptiuum & inutile eſt, quòd hic ſanguis ſuperfluus ſit, quæ illi obnoxiæ eſſent in immunditiem ad id temporis viuere illa lex iubet: quò ipſo etiam nominis ſono laſciua concupiſcentia ad temperantiam redigatur, ne ex inutili & corrupta materia ipſum animans coagmentetur. Et ſanè de infantibus eundem ad modum conſtituimus, *Vt ſi non inquietentur*, inimicosque naturæ caſus ſuperent, antequam gratiæ ſplendore illuſtrentur, quadrageſimus [i] dies expectetur. Conſentaneum namque eſt, vt quemadmodum fœtus quadraginta [k] diebus in naturæ maternoque receptaculo plenè informantur, ſic etiam in æquali dierum numero in diuinæ gloriæ æternique omnium Patris domum procedant. Si tamen & octauo [l] à partu die baptizare aliquis volet, neq; id abſurdum fuerit. Dominus.n. noſter *Chriſtus* octauo die circumciſus, impoſito circumciſioni fine, ꝓ hac viuifico baptiſmate initiari conceſſit. Verùm hęc obtineant, ſi nulla neceſſitas, q̃ mortem minetur exiſtat. Ac ſi periculum aliquod emergens vim vitæ inferat, omni diligentia omnibusq; viribus etiā intra octauum diem ſacram lotionem peragi oportebit, ne non illuminatus, neque ſacri lauacri, atque adeò ſummi boni expers partus decedat.

[a] Puerpera præ foribus mortis poſita *l. Vlt.* §. 1. *C. qui potiores.*

[b] *παρὰ πόδας Scrimg.*

[c] *φωτισμῷ*, id eſt, baptiſmo.

[d] Puerperæ immūdities.

[e] *ἀμυσταγώγητον.*

[f] id eſt, baptiſmo. hoc innuit, mulieres baptiſmo non initiatas intra dē 40. puerperii baptiſari non poſſe, niſi caſus aliquis aliud exigat baptiſmo initiatas nō admitti intra eoſdem dies ad ſacrā communionem *adde Photiū tit.* 3. *c.* 18.

[g] Excommunicatis, mortis tantū impendētis cauſa, cōmunio datur.

[h] Moſis lege, mulier ſi maſculum peperiſſet ſeptem dieb. immunda: 30. diebꝰ pręterea manebat in ſanguine purificationis ſuæ: ſi fœminam, duabus ſeptimanis immūda: 66. diebus in purificatione, nullā rem ſacram attingere poterat *Leui.* 12.

[i] Leo monet, nō tamen iubet, ad quadrageſimum vſq; diē baptiſmū differri in infante, niſi mors infanti immineat.

[k] Quadrageſimo die partus formatur vt dixi ad *l.* 3. *in f. ff. de ſuis: adde l.* 39 *ff. de pœnis.*

[l] Octauo die baptiſmum infanti conferri poſſe.

## VT IN SPONSALIBVS CONSTITVTA POENA EXIGATVR. †

### *CONSTITVTIO XVIII.*

Idem Imperator Styliano excellentiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro.

IN omnibus rebus & dictis quod præſtantius ſit ſeligi, reprehendendum non eſt. Atq; tunc quidem, vt aliquid ſequare, aut declinandum cenſeas, non eorum qui aliquid aut faciunt aut dicunt, habenda ratio: ſed eorum quę fiunt ac dicuntur, cognoſcendus ſtatus eſt. Idcirco quod conſuetudini placuit, *Vt in ſponſaliorum* reprobationibus pœnę imminerent ijs qui reprobare inſtituerent, id in legis authoritatem collocamus. Arbitror enim, id quod conſuetudini viſum eſt, ea lege quæ de huiuſmodi rebus lata eſt, nihil improbabilius eſſe, ac res ipſas referre in melius. Nā quum lex arrhæ perditione, aut in duplum [a] reſtitutione ſolùm temeritatem puniat, hæc definitum pactoque conſtitutum in ſponſaliorum reſciſſione ſubiri damnum vult. Ac ſanè [b], ne (vt fieri aſſolet) ſponſalia ſurſum deorſum ferantur, hoc mihi (quemadmodum dixi) maiorem obtinere vim videtur. Solius enim arrhæ perditio, quæ in eum qui dedit, ac deinde ſponſalibus non acquieſcit, conſtituta eſt: eiusque in duplum reſtitutio, quam multam is qui arrham cepit, deindeque in pacto conuento non perſiſtit, ſuſtinet: vt propter pœnæ leuitatem ad pactorum reſciſſionem, qui id facere cogitant, facilius ferantur, facit. At ex pacto definitæ pœnæ grauius damnum ſibi obuenire videns inconſtans ille, tardior omnino ad diuellenda ſponſalia fiet. Quod ſanè nos etiam nuptialibus contractibus magis conducibile fore animaduertentes, quod ex conſuetudine fieri ſolet, in legitimam conſtitutionem traducimus*. Ex arrhæ ſiquidem [c] perditione faciles ſponſaliorum euerſiones video: ex pœnæ perſolutione non item. Nam grauius diſpendium (pacto enim conſtituta pœna, arrha maior prorſus atque grauior eſt) vel inuitum inhibens, animi inconſtantiam acquieſcere illis quæ antea de ſponſalibus placuerunt, compellet. Sic igitur quod à conſuetudine confirmatum eſt, quemadmodū hactenus, ita deinceps & obtineto & cauſas dijudicato: tum etiam qui ſponſalia euertit, pœnæ exactione feritor.

[a] V. *l.* 5. *C. de ſponſalibus.*

[b] Ratio decidendi.

[c] hoc innuit dupli pœnā legibus conſtitutam non ita adſtringere: quantū conuenta atque pacta *ad de* 20. *Gell.* 1. vbi de pœna iniuriæ conſtituta legib. XII. tabularum.

## DE PACTO [d] PATERNO, EX AEQVO HAEREDEM FVTVRUM FILIUM.

### *CONSTITVTIO XIX.*

Idem Imperator Styliano excellentiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro.

NON contemnendi alios ſtudio (vt & anteà à nobis dictum eſt) neque vt gloriam nobis paremus, ad legum correctionem proceſſimus: ſed vt, quod conducibile non eſt, quoad eius fieri poteſt, à ſubditorum conſortio remoueamus: id ſcientes, ad moderandam rempubl. legum rectam conſtitutionem omnium eſſe præſtantiſſimam. Nam qui leges reipub. oculos eſſe dixerit, is profectò, mea ſententia illas ita vocans, nihil indecens pronunciauerit. Quemadmodum enim res maximè neceſſaria eſt animali non titubans oculus, ita & reipub. legum æquus & rectus ſtatus. Huius ergo nos curam gerentes, poſteaquam in ſelecto Codice legem eſſe cognouimus, (quæ propter euidentem abſurditatem in hominum animis neutiquā locum inuenit, vt ſuſciperetur: nedum vim aliquam & efficaciam habet. Cōtraria enim ſtatuit naturali, quæ à parentibus liberis debetur, æquabilitati, aduerſusque filium patri ad iniquitatem feneſtram aperit: quin & parentem vt illi morem gerat obſtrictum, mendacio, doloque obnoxium facit) poſteaquam, *inquam*, iſtiuſmodi quandam eſſe legem animaduertimus, tametſi etiam ante noſtram ſanctionem, ipſam ne ſuſciperetur excluſerit communis hominum voluntas: tamen nos nihilominus omnem illi prorſus functionem & vſum decreto adimimus. At quid dicit? Etiamſi, *inquit*, pater, quum in matrimonium collocaret filium, illum poſt deceſſum ſuum ex æqua parte cum aliis fratribus paternorum bonorum hæredem fore pacto promiſerit, in poteſtate tamen illius, ſi velit, erit, vt pactum eiuſmodi negligat, aliiſque liberis amplius attribuat: & illi cui æquam portionem in hæreditate pactum concedebat, minorem aſſignet. Hoc itaque quanquam alioqui (quomodo diximus) in repub. nullum locum habeat, noſtro etiam decreto velut in exilium eiectum, omnibus modis in rempublicam ingreſſu prohibemus. Statuimus verò, *Vt* [e] *parentum* nemo iura filiorum, quibus cum reliquis liberis æqualem hæreditatis portionem ſeruatum iri in nuptialibus contractibus ſpoponderint, innouare tentet. Ac ſi quis pactiones ſuas aſperniari, & illius, cui tantundem, quantum alij fratres habituri ſunt promiſerit, portioni detrahere compertus fuerit: ſciat is, pœnitentia mutatam voluntatem inualidam atque vanam habendam. Ex æquo enim cum aliis fratribus ſecundum initum pa-

[d] V. *l.* 15. *C. de pactis.*

[e] *dixi ad l.* 19.

ctum filius in bona ſuccedet. Neque verò mendacium Veritati [a] præferri vlla ratio patitur, nec æquum eſt, neque rationabili animali conuenit pacta [b] conuenta per improbationem adulterari. Atqui ſi quid aliud, hoc certè hominem decet [c], vt verbis ſuis fidem præſtet: niſi mendaciis veritatem corrumpendo, deſtitutus ratione, eorum albo quæ ratione prædita ſunt, excidere velit. Quinimo nec illud conſentaneum eſt, vt parentes ijs qui pariter [d] ex ipſis nati ſunt, non parem curam exhibeant, neque æquabiliter ipſorum vitæ proſpiciant: ſed alios quidem vberiores facultates habere, aliis verò nihil parcere, neque illorum miſereri, tametſi inopes in miſeria victuri ſint, velint. Cæterùm æquum eſt, vt quemadmodum omnibus liberis ex æquo vitam impertiti ſunt, ita etiam ad hanc facultates impertiantur: nequaquam verò, velut ancipiti libra his leuius quiddam, illis verò grauius, pro inæquabilitate animi ſui attribuant.

[a] mẽdacium veritati poſtponendum.
[b] *l. 7. §. 7. ff. de pactis.*
[c] eſt enim graue fidem fallere *l. 1. ff. de conſtitut.*
[d] Paria eiuſdem iuris cẽſentur.

## VT [e] NE MARITVS, QVEMADMODVM VXOR, ILLA PRAEMORIENTE, præter donationem propter nuptias quicquam capiat.

[e] *adde Nou. Iuſtiniani.*

### *CONSTITVTIO XX.*

Idem Imperator Styliano excellentiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro.

CVM vetuſtis legibus [f], quæ de pactionibus nuptialibus tractant, tum in prima matrimonij coitione, tum in eius diſſolutione, quam mors in alterum coniugum irruens efficit, æquabilitatem [g] & viro & mulieri aſſignare viſum ſit: haud ſcio qua re moti, quibus poſtmodum leges condere ſtudio fuit, diuerſis conſtitutionibus has ſubiecerint. Etenim vetuſtiores [h] leges mox à coniugij coitione æquales eſſe collationes, tum muliebrem tum virilem, & vt altero vita defuncto, quum liberi nulli ſupereſſent, nec pactum in quo quippiam de lucro ſignificaretur, ſubeſſet, ex æquo ad vtrumque ſua reuerterentur, conſtituerunt. Si verò de lucro pactum initum eſſet, tunc vt vtercumque vita exceſſiſſet, qui ſuperſtes eſſet, receptis rebus ſuis, inſuper quantum pacto comprehenſum eſſet, lucraretur, & in ambobus lucri æqualitas ſeruaretur: ita vt viro præmortuo mulier dotem, propterque nuptias donationis partem aliquam, eámve totam, ſi ita conueniſſet, aſportaret: & ſi mulier ante virum in mortem incidiſſet, vir donationem propter nuptias conſeruaret, illúmque lucrum, ſiue dos tota, ſiue eius pars, prout pacta vellent, ſequeretur. Atque hæc quidem quum vetuſtioribus placuiſſent, poſterioribus [i] diſplicuerunt. Quapropter & contrà ſtatuunt: quanquam non rectè. Statuunt autem, vti ſtatim ab initio coniugij inæquales procedant collationes, & maior dos ſit, donatio verò propter nuptias contractior: eiuſque vxor ab eo die quo matrimonium contractum eſt, ſit domina, quanquam (vt fieri aſſolet) alterius viri conſortio poſtmodum ſe mancipet. Et iniquè iudicãtes, vbi matrimonium morte diſtractum fuerit, mulieris mœſtitiam lucro conſolantur: viri verò ſupra amiſſionem vxoris, diſpendio rerum ipſius mœrorem adaugent. Iubent enim, vti mulier ſuperſtes cum ſua dote vniuerſam propter nuptias donationem auferat, & ad hæc ex reliqua mariti ſubſtantia tantum quantum dotis donationiſque propter nuptias in vnam ſummam contractarum quadrans conficit, ceu hæres capiat. Quòd ſi mulier ante maritum mortem obeat, tum vt illius hæredes vnà cum dote donationem propter nuptias lucrentur: maritus autem nihil aliud quàm quantum dotis donationiſque propter nuptias quadrans facit, habeat: vtique res eum ad modum procedat, ſiue ſubſit pactum, ſiue nihil huiuſmodi inter ipſos conuenerit. Sed hæc quomodo non iniqua? quomodo pro iure hæc non extrema iniuria eſt? Quæ quidem præmortuo marito mulier accipit, in his fortaſſe aliqua ratio: quæ verò illa præmortua ad eius hæredes deuoluũtur: in his quomodo non omnis iniuſtitia & enormitas ineſt? Ea propter decenter valde ſapienterque perpetuò ille memorandus Imperator, & qui ex ipſius lumbis natus poſt ipſum *rebus præeſt*, fecit, qui veteribus legibus authoritatem conſeruandam, quæque peruersè contra ſtatuerent, eas è repub. in exilium eijciendas putauit. Atenim refractaria contentioſaque conſuetudo eſt, ac frequenter abſurda aliqua opinio, vbi in hominum animis (eorum præſertim quibus recto iudicio illam expendere curæ non eſt) altas velut radices egit, haud facilè extirpari nequit. Qui homines anticipatam opinionem, quamuis [a] friuola ſit, amplexantur, noluntque ſequi meliora. Adeò vt ne nunc quidem in æternum commemorandi patris noſtri conſtitutio, quæ ad veteres leges nuptialium pactionum rationem reducit, abſurdam conſtitutionem miſſam eſſe faciendam perſuaſerit, atque in quæ ille exilium decreuerat, in publico hæc etiamnum vſu ſint. Quid nos igitur? *Poſtquam ſemel* præualere viſum eſt: ne [a] in matrimonij coitione ex æquo collationes fiant, ſed maior donatione propter nuptias dos ſit, hoc in repub. obtineto. & ſi mors matrimonium dirimat, tum ſi [b] maritus ſine liberis decedat, pactumque non ſubſit, vxor dotem donationemque propter nuptias, nihil autem amplius auferto: ſi verò mulierem mors abripiat, dotem hæredes eius capiunto: maritus autem ſuis rebus ne priuator, neque quæ ipſius ſunt, alij, ſed ipſe habeto. Quomodo enim iniquum non eſt, alios ex illius rebus lucrum ſentire: ipſum verò, ſupra amiſſionem coniugis, bonis etiam ſuis, ſiue donatione propter nuptias, priuari?

[f] *d. Nouel. 97.*
[g] *d. Nou. 97. de æquabilitate dotis & donationis propter nuptias.*
[h] *Nouell. 97. c. 1.*
[i] .i. his quæ Iuſtiniani tẽpora ſecutæ ſunt.

[a] Inæqualis poteſt eſſe quãtitas dotis & donationis propter nuptias *Nou. 22. c. 20.* Inæqualis, inquam, Nam donatio propter nuptias dotis datione maior eſſe poteſt.
[b] Mulier morte mariti ſine liberis mortui, donationem propter nuptias pleno iure lucratur, niſi pactum ſit contrariũ. Quid ſi mulier præmortua? eius hæredes dotem tantum auferunt, rebus propter nuptias donatis penes maritum manẽtibus.

## VT DOTIS PROMISSIO EX PATERNIS AVT MATERNIS bonis facta præſtetur.

### *CONSTITVTIO XXI.*

Idem Imperator Styliano excellentiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro.

QVEMADMODVM in libra videmus, eam tum rectè ad rerum earum quę ponderantur, dijudicationem deſumi, quando lances æquales [c] ſunt, neque vel tantillum in alteram partem proclinant: ita quoque lex, quum ne tantillum quidem ius intorquet ac deprauat, digna eſt quæ ad rerum dijudicationem procedat. Illius enim partes ſunt, vt æquabilitatem: huius autem, vt ius ſtabile conſeruet. At quorſum hæc? In Codicibus deſcripta [d] conſtitutio eſt, quæ dum à parentibus, qui in matrimonium liberos collocarunt, promiſſa dotis donationiſve propter nuptias nomine facta exigit, haud ſcio quomodo ius commiſceat. Vult [e] namque, vti pater, qui pro liberis dotem donationémve propter nuptias promiſerit, ſi promiſſionem indiſtinctè fecerit, illam totam de ſuo expleat, ſuiſque ſolis ex bonis perſoluat: ſin diſtinxerit: huncq; ad modum locutus ſit, *Ex meis filijq; bonis promiſſa exhibebo*: tum ſi inops ſit, nihil ille in promiſſum contribuat, ſed filij facultates, quæ ſe vnà cum filio daturum pollicitus eſt parens, ſolæ expleant: ſed ſi diues ſit, contrarium ſtatuatur. vt ipſe ſolus de ſuo quæ pollicitus ſit expleat, filiuſque nihil cum illo communicet: tametſi ſi non ſe ſolùm, ſed cum filio promiſſum expleturum pollicitus ſit: quòd filium, qui ipſe non promiſerit, dare quippiam indignum putetur. Hoc itaque æquitatis ſubuerſionem eſſe rati ſumus. Nam quantacumque inopia teneatur parens, ſi filius ſolus de ſuo promiſſa ſoluat, nulla iuſtitia legis apparet: neque rurſum quum ſatis affluens rerum patri copia eſt, filium contributionis omnino eſſe expertem, vniuerſumque promiſſum à parente exhiberi conuenit. Quamobrem etiam ſtatuimus † *Vt* [f] *ſecundum* parentis verba promiſſorum ſolutio procedat, ab ipſoque ſolo, quando ſe ſolum daturum pollicitus eſt, promiſſum exigatur: quando verò cum filio ſe daturum promiſit, filius etiam ſolutioni obnoxius ſit: eaque ex æqualibus partibus, quando illæ definitæ non ſunt, fiat: ac tum ex inæqualibus etiam, quum vtrique certæ partes diuersè aſſignatæ ſunt. In hoc nulla æquitatis euerſio eſt, inſuperque id ad liberorum vtilitatem ſpectat, quam in codicibus edita conſtitutio non magnopere curat. Quid ita? Quoniam ſæpenumero parens, quum ad diſpendium reſpicit, ideoque illud tempus quod filio efficaciter promittendi poteſtatem facit, ineundo nuptiali contractui expectat, quod eſſe conducibile filio ſit perdit. Vt igitur ea res ambobus commoda felixque ſit, neque æquitas iniquo iudicio inuoluatur, nec verò denique liberorum vtilitati noceatur, Codicis decretum vacato: hoc verò iam etiam conſuetudini cognitum in republica obtineto. Quum etenim pro decreto legis in republica habeatur, iam prælatum eſt, quæ in Codicibus eſt conſtitutioni.

[c] Lances iuſtitiæ æquales.
[d] *l. Vlt. Cod. de dot. promiſſ.*
[e] ſententia d. legis vltimæ.
† Emendatio d. l. vltimæ.
[f] ſenſus eſt, patrem (ſi ſolus dotẽ promiſit, vel donationẽ propter nuptias) ſolum exigi: ſi cũ filio filiáve promiſerit, pro ſua tantum parte conueniri, niſi ex parte inęquali ſpecialiter promiſerit, atq; ita, patrem indefinitè dotem promittẽtem, ac donantẽ propter nuptias, ſolum non exigi: quod d. lex vltima conſtituerat. Alij non male ſentiunt ſpectandum eſſe, quonã iure pater dotem dederit. vt ſi tanq̃ tutor filiæ aut geſtor, nõ de ſuis bonis videatur filiã dotaſſe *Vide VVurmſer. 1. obſeruat.* 37. § 2. Interea videtur Leo ſecutus legem 22. § 3. *in fin. ff. ſoluto*

VT MVLIER QVÆ MATRIMONIVM NON [a] ITERAT, VNIVS, LIberorum portionem proprietatis iure capiat: ſimiliter & pater.

*CONSTIT. XXII.*

Idem Imp. Styliano excellentiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro.

SICVT in pleriſque aliis, quando abſurdi nihil incideret neque rebus noxium quicquam inferretur, conſuetudini [b] ceſſimus: quin & legis prærogatiuam illi dedimus, quum iam plebs aſſuefacta illi eſſet, nec ab illa ſe auelli ſineret: ita etiam in parte donationis propter nuptias, quam mulier liberos habens, nec animo alteris nuptiis applicito ſponſalem torum commiſcens accipit, faciẽdum putauimus. Quum enim antiquior [c] lex id donum ita circumſcribat, vt donatione propter nuptias mulieri in vſumfructum data, illa præter vſumfructum ex eadem propter nuptias donatione, vnius liberorum portionem proprietatis iure capiat: ac deinde poſterior [d] lex rurſum hanc vnius liberorum portionem non ex donatione propter nuptias duntaxat lucrum mulieri afferre, ſed in alia etiam mariti bona procedere illam velit: his ita per leges conſtitutis, conſuetudo neutram legem directè, ſed partim hanc, partim illam ſequens, neque ex ſola donatione propter nuptias, neque ex aliis extra donationem conſiſtentibus mariti facultatibus, vnius liberorum portionem mulieri dari dignum putat: verùm immutata illa portione, omnium [e] ſimul ipſius bonorum illi partem largitur. *Hanc igitur conſuetudinem* [f] quoniam acerbam eſſe rebus mortalium non videmus, vt in aliis etiam faciendum putauimus, legis dignitate honeſtamus: illaque quidem dehinc [g] vim legis, non autem conſuetudinis obtineto. Ac ſi quidem omnes mariti facultates in ſola donatione propter nuptias numerentur, cum huius liberis ſuperſtes mater portionem quæ ad ipſam pertinet, pleno dominio accipiet, reſiduique vſumfructum habebit. At ſi ad donationem propter nuptias facultates non ſufficiant, non pro quantitate imminutæ donationis portionem mulier accipiet, ſed quæ tantundem habeat quantum haberet ſi nihil imminuta & plena donatio propter nuptias eſſet. Huiuſmodi igitur portione mulieri data, reliqua liberorum ſunto: &, ſi nihil ſuperfuerit, tanquam hæreditatem, ſucceſſionis priuationem & egeſtatem illi auferunto. Atque hæc quidem de muliere. Vir autem, ſi liberos non habeat (quo modo alibi correctum & conſtitutum eſt) nihil neq; accipiet, neque perdet: ſi habeat, neque alteris nuptiis vxoris deſiderium inaniat, liberorum educationis, exhibitæque priori matrimonio reuerentiæ & honoris gratia, & ipſe vnius liberorum portionem capiet.

NE PRÆSIDES IN PROVINciis ſuis domeſtica [h] ſponſalia contrahant.

*CONSTITVTIO Vigeſimatertia.*

Idem Imperator eidem Styliano.

DIGNVM hercle humano ingenio magiſtratuumque virtute eſſet, ſi qui in magiſtratũ aſſumũtur, eo quòd ſuprà multos alios gloria & honore fruuntur, religioſè præcepta Dei obſeruarent & cuſtodirent, prouideque ſubditorũ res curarent, nequaquam verò illos graui manu opprimerent. At quia ſunt quos ferox iniquuſque animus è recta præceptorum ſemita exorbitans, in peruerſam tyrannicamque cupiditatem ducit, & pro reipublicæ cura efferati animi propoſitum exhibere facit, tanquam illos refrenatura lex [a] vetus ſtatuit, ne præſides in ſuis prouinciis contractus & ſponſalia incundi facultatem haberent. Atq; hanc quidem iuris rationem quum in filiis, nepotibus, & aliis conſtituiſſet, filiarum elocationem non prohibuit. Hoc igitur nos tanquam quod deſit [b], optimæ legi adijcientes, ſtatuimus, *vt quibus præſidatus obuenit*, quemadmodum filios aliosque virilis ſexus cognatos & domeſticos, ita quoque filias aliasque fœminini ſexus perſonas, in ſuis quique prouinciis in matrimoniũ collocare prohibeantur. Quid enim cauſæ eſt quare filius, & ſi quis alius virilis ſexus eſt, decreto obnoxius ſit, filia verò à legis obſeruatione libera permaneat? quum præſertim virilis ſexus ſæpenumero multis & modis & exercitijs ſibi, coniugi, alijſque quos affinitas coniunxit, vtilis eſſe poſſit. Nam dignitates fortaſſe conſecutus, aut mercatura [c] aliqua inſtituta, aliáve ſuſtentandæ vitæ cura ſuſcepta, neque ſibi (quomodo dixi) neque aliis propinquis inutilis fuerit. Quæ vt muliebris ſexus ſubeat, non ferè idoneus eſt.

NE FILII NATVRALES CVM adoptiuis matrimonium contrahant. †

*CONSTITVTIO XXIIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

MVLTI, dum priſca tempora laudibus celebrant, prima illis in ordinandis conſtituendiſque rebus tribuere volunt. Atque illa in pleriſque recentiora vincere, ſcio quidem & ego: veruntamen in nonnullis [d] vinci etiam video. Et cùm non pauca ſint in quibus à recentioribus temporibus illa ſuperentur, tum verò maximè in adoptionibus id fieri conſpicitur: quas illa adoptiones neutiquam decenti cum ritu & ornatu faciebant, dum citra [e] diuinum ſacrificium diuinoſque cantus faciebant: & qui adoptari vellent, id illis ſimpliciter fieri lex permittebat. Vnde vſuveniebat perſæpe, vt [f] ſororis appellatio in vxoris tranſiret, & quæ puella paulo antè filia dicta eſſet, nurus nomine compellaretur: aut filius qui eſſet, pro eo gener agnoſceretur: quando videlicet naturalis, quẽque adoptio in filiorum ordinem collocarat, matrimoniali commercio inter ſe iungerentur: ac ſuſque deque iſthęc actio haberetur: quòd quum ſacrum miniſterium non interueniſſet, nullum inde ad matrimonialem conſuetudinem exiſteret obſtaculum. Cæterùm olim quum decenti ratione non adoptaretur, quanquam matrimonium [g] infame quiddam complecteretur, non tamen nefarium aliquid continebat. Verùm *nunc* quum adoptio ſecundũ ritus tum decoros tum iuſtos fiat, & per ſacroſanctũ [h] ſa-

[a] *adde Nouella.* 85. ἰ. *eod: Nouel. Inſtin.* 127. *c.* 3.

[b] Conſuetudini quando cedendum.

[c] Mulier primis nuptiis cõtenta, donationis propter nuptias vſumfructũ habet: & pręterea virilem proprietatis in eadem Nouella 127. c. 3.

[d] Mulier non tranſiens ad ſecundas nuptias nedum vſumfructũ & proprietatis virilem in rebus donatis propter nuptias conſequitur: ſed in aliis rebus mariti virilem.

[e] Res ita habet. Coniũx ſuperſtes nõ contrahẽs ſecundas nuptias, lucra nuptialia poterat alienare, *l.* 5. *inf. l.* 6. *inf. l.* 8. §. 1. *C. de ſecund. nuptijs.* vt hinc colligas plenam proprietatem bonorum nuptialium veteri iure habuiſſe. Poſtea cõſtitutum, vt earum rerũ proprietas liberorum eſſet, id eſt, ne in pręiudiciũ liberorum alienaretur *Nouell.* 2. *cap.* 2. Cui conſtitutioni poſtea derogatum, alienandi facultate parentibus permiſſa *Nouell.* 22. *cap.* 20. §. 1. *ibi, omnem licentiam habebunt alienationis.* paulo pòſt, facultas alienandi eiſdem fuit denegata *Nouella* 98. *cap.* 1. *in princ.* ab hinc cautum, vt in illis rebus mater vſumfructum & eò amplius virilem proprietatis conſequeretur *Nouella* 127. *cap.* 3. Poſt hanc legem alia ſucceſſit, quæ nedum vſumfructum, virilemque donationis propter nuptias indulſit, ſed & virilem in aliis mariti bonis §. *eodem ibi, ac poſterior lex.* His ſucceſſit conſuetudo, qua matri abſtinenti ſecundis nuptiis indulta virilis in omnibus mariti bonis, quamque Leo *hic* confirmat. Vt hæc conſuetudo differat à lege de qua dictum eſt §. *eodem ibi, ac deinde poſterior lex,* non video. mihi non videntur diſſimilia, dari matri virilem in rebus donatis propter nuptias & aliis bonis mariti, *vt ibidem.* & eidem dari virilem in omnibus mariti bonis. Vt hinc notare liceat non eſſe de nihilo quod Harmenopulus operis ſui initio obſeruauit, Tribonianum pretio leges fixiſſe & refixiſſe. [f] hanc conſuetudinem probat Leo *verſiculo, hoc igitur, infrà eodem.* [g] Ex conſuetudine lex oritur. [h] id eſt, quod antea conſtitutũ, ne præſides eorúmve filij ac domeſtici nuptias contraherent in prouincia, id has Nouella extenditur ad filias pręſidis, idque adiecit legi veteri.

[a] *l. vn. Cod. ſi rector prouinciæ vel ad eũ pertinent.*

[b] Quod de filio conſtitutũ fuerat in dicta lege vnica, ad filias extenditur.

[c] Mercaturæ vtilitas.

† etiam poſt diſſolutã adoptionem. & ita lex 17. de ritu nuptiarum abrogatur.

[d] In nonnullis præſentia tempora, antiquis potiora.

[e] ἀνδ τελετῆς θείας, ϗ ἱερῶν ᾠδῶν. eſt .n. ita legendum non ᾠδίνων. *adde Nouellam* 89. ἰ. Veteres citra diuinum ſacrificium & diuinos cantus adoptionem faciebant.

[f] Si inter adoptiuos permittũtur nuptiæ, neceſſe erit vt quæ antea mihi ſoror fuerit, vxor eſſe poſſit: vt q̃ mihi filia adoptiua fuerit, poſtmodum mihi nurus ſit, ſi filio meo adoptiuo meam filiam vxorem ducere liceat. eueniet quoque vt q filius antea mihi fuerit, idem mihi ſit gener, ſi filiam meam adoptiuam ducere ei permittatur. Eſt autem abſurda nominum confuſio, ergo, & nuptiæ inter fratres adoptiuos. [g] hoc innuit, Matrimonium inter fratrem adoptiuum & ſororem adoptiuã infame veterib. fuiſſe, non tamen nefarium. [h] διὰ τελετῆς ἱερᾶς. huius conſtitutionis meminit alicubi Theodorus Balſamon, quibus adde & illud genus adoptionis quod fiebat per baptiſmum. Huc etiam referri poteſt adoptio per arma, qua Theodoricus Herulorum regem filium ſibi procreauit, *Caſſiodor.* 4. *variar.* & Iuſtinianus Atalaricum. Caſſiodorus 8 *variar.* Deſiderio concordiæ factus eſt per arma filius: Idem author *lib.* 8. Genſimundus armis filius factus eſt. & Procopius 1. *belli Perſici* refert, cùm Cabades Perſarum rex Iuſtino Imperatori pacem obtuliſſet, ſi Coſroem ex ſorore filium adoptaret, conſilio Procli Iuſtinum reſpondiſſe, paratum ſe id facere, ſed ita vt barbarum deceret, id eſt per arma, non per literarum inſtrumenta: alioquin vſitata apud Romanos adoptione, ius ſui hæredis Coſroi tribuiſſet. Erat & aliud genus adoptionis per comam, ſiue per capillos. Paul. Monachus 6. *de geſtis Langobardorum.* Circa hæc tempora Karolus Francorum princeps filium ſuum ad Luitprandum miſit, vt eius iuxta morem capillum ſuſciperet, qui eius cæſariem incidens, ei pater effectus eſt, *v. P. Pithæum* 1. *aduerſ.* 4.

crificium hi in parentum locum, illi verò in filiorum ius ſubeant, nulla amplius reliqua ratio eſt vt filij adoptiui cum naturaliter genitis in matrimonium connectantur. Quocirca etiam ſtatuimus, vt qui eo modo fratrum nomen ſubierint, is nequaquam mutato fraternitatis iure in matrimonium iungi liceat.

## DE EMANCIPATIONE, ET DOTIS RESTITVTIONE.

### CONSTITVTIO XXV.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVÆ à veteribus Imperatoribus de emancipatione conſtituta ſunt, eximia illa quidem, dignaque quæ ab innouatione libera conſeruentur, haud ſcio quomodo non decentem reuerentiam obtinuerint: ſed, tametſi non omnino, at certè deſpici tamen cernantur. Non rectè ſanè. Quod enim ſtatuerunt, ſeruis libertate donatis non prorſus non offerri munificentiam poſſe: ſed ſi quis in vnam aliquam vetitarum cauſarum, quæ libertatis dignitatem in ſeruitutis habitū transformare poſſunt, malo animo commiſiſſe deprehenderetur, vti tum rurſum [a] in ſeruorum locum deduceretur: illos religioſe omnes audiunt, legiſque lationem venerantur. Quòd verò liberis parentum poteſtate ſemel liberatis, libera animi voluntate per omnia plenè vti permittunt [b]: non viſum eſt audiendum, neque, quaſi illi improbanda ſtatuiſſent, decreto acquieſcendum. Sed manifeſtum nunc eſt, nulla idratione (neque enim lege nouiter lata reprobatum eſt) authoritate priuatum eſſe. Quidam *ſaltem* iudex cenſuit (& miror quo pacto cenſuerit) ne, qui liberi ſui iuris facti eſſent, ſimpliciter poteſtatem quam cepiſſent, haberent: ſed niſi [c] ipſis liberi eſſent, liberum arbitrium abrogaretur, rurſumque patriæ poteſtati ſubijcerentur. Neque verò *ille* hoc vnum *cenſuit*, [d] ſed etiam ſi quis ex ſemine ſuo efflorescentem fœtum viderit, ac verò hunc mors toruis oculis inſpexerit, itaque ad liberorum orbitatem redactus ſit: vt ille pariter cum liberis liberam voluntatem amitteret, neque teſtamenti factionem haberet, neque quæ donata à parentibus eſſent, pro arbitrio adminiſtrare permitteretur. Atq; hoc quidem vbi nonnullis placuiſſet, facileque à poſterioribus ſuſceptum eſſet, deſpecta veteri legiſlatione, in hodiernum vſq; diem in republ. valere conſpicitur. Nos itaque priſtinam legum hac de re authoritatem renouantes, ſtatuimus, *ne quis* illorum qui de dotis [e] reſtitutione diſceptant, reijciatur, infectaque re inanis dimittatur. At quid aiunt illæ? Si filius liberis orbetur, donum quod illi à patre proceſſerit, ad donatorem oportere reuerti: quod verò aut à matre, aut ab extraneo quopiam donatum filius habet, non item, niſi reuerti debere id donatores pacto complexi ſint. Sed quæ filiis patres inter emancipandum dederunt, apud eos qui acceperunt, irreuocabiliter permanere, illoſque de illis teſtari iubent: niſi pacti cuiuſpiam, quum pater donaret, initi, obſtaculum ſubſit. Nos itaque in harum ſententiam pedibus euntes, *ſcire omnes* iubemus, ſi filius ſui iuris factus, nulloſque liberos habens teſtetur, parentes illa duntaxat quæ ex lege Falcidia ad ipſos manant, niſi pactum (quo modo ſuprà dictum eſt) initum ſit, percepturos: reliquos verò cognatos, quanquam ab inteſtato vocarētur, vt qui reſtitutione pactum interponere neglexerunt, omnino nihil. Illud porro annotatu dignum, ſolius [f] virilis perſonæ in poteſtate eſſe filium dici. Cæterùm quoniam præter alios modos hic quoque ſui iuris filium eſſe oſtendebat, ſi qui ipſum in poteſtate habebat, (ſiue is pater, ſiue auus eſſet) libertate ipſum ſuo [g] ore donaſſet: nos hoc inſuper annectim⁹, vt ſi pro ſuo ſaltem arbitratu viuere filius videatur (ſiue id eius verbis cuius ſub poteſtate degit, conceſſum fuerit, ſiue verbis quidem conceſſum non ſit, ſed conſenſus tacitus † filio vitæ rationes ſeparatim inſtituenti non aduerſatus ſit, verùm ipſum ſuo modo ſeorſum viuere permiſerit) tametſi [h] à coniugij commercio liber ſit, ius tamen liberi arbitrij ratum illi & confirmatum ſit. Etenim ſi ſerui ſemel iugo emiſſi, dum mali non apparent, iterum illud trahere non coguntur: quomodo indignum non eſt, filios patria poteſtate liberatos, denuò ſub iugum mittere, ipſoſque perpetua libertate, qua, quomodo dixi, ſerui etiam fruuntur, expertes eſſe?

[a] *l.* 2. *Cod. de libertis.*
[b] Legibus ſoluuntur liberi patria poteſtate per emancipationem: reuocātur tamen in patris poteſtatem ingratitudinis cauſa *l. Vn. C. de ingratis liber.* Quod cū ita ſit, qui fit vt Leo dicat hoc non eſſe audiendum. Imò quo iure ſimpliciter dicitur, legibus permitti plenam omnino poteſtatem emancipatis, nullamque mentionem facit ingratitudinis legibus damnatę? nedum hic locus eſt corruptus, ſed integra Nouella.
[c] hoc ait, Emancipatos ingratos in patriam poteſtatem ob ingrati vitium reuocari.
[d] hoc caput exiſtimo referendum ad emancipatos ingratos (de quibus agi ſatis cōſtat huius Nouellæ principio) eo ſenſu. Emancipatos ſi liberos habeant non reuocari in patriam poteſtatem: ſed tamen teſtari de profectitijs non poſſe.
[e] locus eſt corruptus.
[f] hoc innuit, filios non eſſe in poteſtate matrū aut auiæ.
[g] Emancipatio non requirit ſcripturam.
† Tacito cōſenſu filius emancipatus dicitur, ſi patre non ignorante ſeparatim rationes inſtituit aut ſeorſim viuit, tametſi coniugem non habet. & ita abrogatur lex 3. *Codice de emancipat.* quæ negat nudo conſenſu (citra ſolemnitatem verborum) filios emancipari. [h] An id videtur innuere? Filios nuptijs contractis voluntate patrum tacitè emancipatos videri? non arbitror, quantumuis id multis locis hodie ſit receptum.

## VT EVNVCHI ADOPTARE POSSINT †.

### CONSTITVTIO XXVI.

Idem Imperator Styliano excellentiſſimo ſacrorum officiorum magiſtro.

MAGNVM ſanè excellenſque donum [a] à Deo creatore ad mortales promanauit matrimonium. Non modò enim naturæ mortis [b] ingluuiei obnoxiæ opem fert, humanóque generi perpetuitatem elargitur, id dum ab illa depaſcitur, non omnino deperire ſinens: verum etiam per liberorum procreationem permagna alioqui hominum vitæ præſtat. Nam quid ea quæ ex liberis percipitur voluptate ad oblectandos hominum animos ſuauius? aut verò quid in humanæ vitæ negotijs, cùm alijs, tum quæ in ſenectute nobis ſe offerunt, vtilius? Leuari ſenectutis moleſtias liberorum miniſterio videmus. Verum quoniam eam vtilitatem per matrimonij commercium conſequi non omnes valeant, voluit lex, & rectè quidem, in eos qui id donum à natura non accepiſſent, ſua benignitate beneficium conferre. At id propoſitum nō ita erga omnes ſeruauit, vt omni defectu vacuum beneficium daret. Alijs enim etiā extra matrimonium [c] acquirendi liberos poteſtatem fecit, alios huius beneficentiæ exortes reliquit. Quanquam eius legis, quæ in hoc ſemel edita eſſet, vt liberorum orbitate qui nullos haberent, liberaret, ac ſua ope patres, quibus ex matrimonio id eſſe non contigiſſet, efficeret, pertinere ad omnes beneficentiam conueniebat. Verùm illa id ita non vult: ſed reijcit illos qui lethalia paſſi ſunt: quorum tamen, quòd iniuria affecti, generandiq; facultate priuati ſint, miſereri par erat. Repulſæ autem cauſam hanc ponit, quod dicat. Quos [d] natura ad generandum non idoneos nouerit, hos neq; legem hoc beneficio affecturam. At verò non [e] natura, ſed hominū iniuria his generandi vim ademit. Qui homines, ſi præter iniuriam quam ab hominibus ſuſtinuerunt, alteram per leges non ſubirent, dignum fore Imperatoria noſtra Maieſtas rata ſtatuit, vt ſi adoptare vellent, liberam id faciendi poteſtatem haberent †. Exiſtimo enim illic beneficium magis eſſe neceſſarium, vbi eius impenſius requiritur vtilitas. Eunuchis autem præcipuè liberorū acquiſitio, quæ per legem fit, eſt neceſſaria, eoq; magis, quòd vna hac ratione, vt patres ſint conſequantur: itaq; liberorum miniſterio ipſis frui contingat: quo inhumanum eſſet, ſi, quòd genitalibus priuati ſint, inſuper etiam priuarentur. Sed quemadmodū [f] cui [g] vocis vſus ademptus eſt, quæ linguæ munia ſunt per manum adimplere, & qui ſermonem labris fundere nequit, per ſcripturam ad ordinandas res ſuas procedere non prohibetur [h]: ita neq; qui, quòd genitalibus priuati ſunt, liberos non habent, horum indigentiam alio modo compenſare vetandum eſt.

## VT PARITER OMNIBVS † ADOPTARE LICEAT.

### CONSTITVTIO XXVII.

Idem Imperator eidem Styliano.

CVM eos qui ſua induſtria rem aliquam humanę vitę vtilem adinuenire ſtudent, in commune illam proponere, quàm [i] certis hominibus deuouere, alióſque eius expertes relinquere, decentius ſit: tum verò longè magis legum beneficium commune eſſe conuenit. Nam ſicut ſub principe,

† abrogatur §. 9. *Inſtit. de adoptionibus*: *l.* 2. §. 1. *ff. de adoptionibus.*
[a] *Nouell.* 22. *Nouell.* 39.
[b] Laus matrimonij ſumpta ab vtilitate & voluptate.
[c] per adoptionem ſc.
[d] Ratio dubitandi ſumitur ex §. 9. *Inſtit. de adoptionib.* *l.* 2. §. 1. *ff. de adoptionib.* Poteſt ſic ea augeri: hæredem inſtituere Eunuchis non licuit *l.* 6. §. 1. *ff. de liber.* vel matrimonium contrahere *l.* 39. *in f. ff. de iure dot.* nam quod dicitur, pro morboſis haberi, id leuius eſt *l.* 7. *ff. de adilitio.*
[e] Eunuchi nō fiunt natura vt hic: licet in quibuſdam ſpadonibus, contra *l.* 128. *ff. de verbor. ſignif.* quibus adoptio permiſſa *l.* 40. *in f. ff. de adoptionib.* differunt enim à caſtratis de quibus hic agitur, *dixi ad d. l.* 128.
† olim caſtrati adoptare nō poterant, & ita abrogatur *d.* §. 9. *d.* §. 1.
[f] Ratio decidendi ſatis elegans. poſſis & à ſimili id etiam confirmare, licet Eunuchis teſtamentū facere *l.* 10. *Codice qui teſtamenta* ergo & adoptare. [g] *l.* 10. *Cod. qui teſtamenta.* [h] & è contra qui manus amiſit, verbis teſtari poteſt, *l.* 10. *ff. qui teſtamenta.*
† etiam fœminis quæ nunquam liberos habuerunt. & ita abrogatur §. 10. *Inſtit. de adoptionibus* & *l.* 5. *Codicis de adoptionibus.* [i] Superfluè vni aut paucis ſcribitur, vbi eſt cauſa cunctorum *Saluian. ad eccleſi.* adde *Nouellam Iuſtin.* 60. *cap.* 1. *in fin.*

principe, virtute: ſic ſub legibus, quotquot illis paremus atque ſubditi ſumus, illarum beneficio in commune frui debemus. At quid ſibi vult hoc prooemium? Quòd quum liberorum orbitate infelices liberare infortunio lex vellet, adoptare, & quod à natura accipi non poſſet, opinione comparare iubendo, non erga omnes ſimiliter ſeruarit propoſitum: atque viros quidem & mulieres, quas natura poſtquam [a] matres nouiſſet ademptione ſobolis ad liberorum orbitatem redegiſſet, adoptandi iure donarit: eunuchos [b] verò & mulieres, è quarum ſinu nondum vllus fœtus effloruiſſet, beneficio indignos cenſuerit, tam viliter neſcio quomodo ratiocinata. Non enim quia hoc incommodo, vt natura patres eſſe nequeant, eunuchi affecti ſint, continuo idem incommodum lege augeri [c] oportet: ſed è diuerſo eius rei defectum alio modo compenſari non prohibere, longè magis par eſt: quemadmodum aliis membris, quæ ad actiones naturales requiruntur (vt manibus [d], pedibus) mutilatis, aut ſi qua alia parte priuati ſint homines, illi quocunque poſſunt modo, mutilationem ſarcire non prohibentur. Iam verò neque mulieres, quia matres non fuerint, ne adoptent, coerceri, rationi conſentaneum eſt. Quæ enim ratio eſt, vt illis, quod liberis orbatæ ſint, denuo acquirendorum liberorum ius largiare: has verò, quòd iſtiuſmodi poſſeſſionis prorſus inopes fuerint, per omnem vitam in illa inopia viuere velis? Et certè ſi [e] hæc præcipua liberorum vtilitas eſt, vt parentes in ſenio ſuſtentent: quo pacto non tam his quàm illis ex æquo vt beneficii participes eſſent, concedere æquum fuit? Sic enim quibus tenues artæque facultates ſunt, filiorum ope & auxilio leuior paupertas eſſet: quæ verò illas omni rerũ copia affluentes habent, & his adoptio conduceret. Nam qui in filij locum aſſumptus eſſet, is & inſeruiens matri, & pro illa quæ par eſt filium facere ſedulò exequens, quum bona illius, ita vt in ſuo ſtatu manerent, adminiſtraret, tum cum matre curarum onus partitus vt illa tranquillius lætiusque viueret, efficeret. Noſtra itaque Imperatoria Maieſtas, iis legibus quæ adoptare his quos diximus non permittunt, adminiſtrationem abrogans, euulgat legem, quæ *omnibus qui* adoptare velint, ſiue quiſpiam virili facultate orbatus ſit, ſiue aliquam [f] necdum matrem Sol viderit, eius faciendi poteſtatem facit. non ſolùm autem ob commoditates quas ex adoptione manare dixi: ſed etiam quòd inde virginitatis decus cohoneſtari animaduertam. Si quidem quæ coniugali conſuetudini virginitatem anteponunt, interimq; liberorum deſiderio punguntur, quum id extra matrimonij conſuetudinem conſequi ſe poſſe videbunt, virginitatis honeſtatem negligere non ſuſtinebunt. Neque [g] porro verum eſt, vt quia mulieri liberos in poteſtate habere permiſſum non eſt, idcirco illi adoptare non liceat. Primum [h] enim, quia ſi quis hoc admittat, non modò mulieres, quæ nunquam pepererunt, verumetiam quæ matres extiterunt, ab adoptione arcet. *Fœmina* enim (vt lex [i] inquit) *Habere in poteſtate non poteſt*. Deinde [k] quę hoc ſancit lex, loquitur de illis qui à matribus recedentes ſeorſum ſuo arbitratu viuere malunt: non item verò de ijs qui materna imperia libenter tolerant, ipſarumq; pręſcriptis per omnem vitam parêre propoſuerunt. Non igitur obedientiam & famulatum voluntarium, quanquam is ratus ſit, lex prohibet: ſed illic fœmina poteſtate priuatur, vbi voluntatis aſſenſus ad obedientiam non coit. Nam ſi hoc ita ſit, quomodo multæ matres iam viduæ liberos ſecum vnà viuentes & ſubditos ad extremũ vſque diem habent, & animam in illorum manibus exſpirantes, maternæ benedictionis ſuarumque facultatũ illos relinquũt hæredes? Porro & illud etiam Imperatoria noſtra Maieſtas benignè ſubditis largitur, *Vt non modò ab Imperatore* (quemadmodum vetuſtiores [l] leges præcepere) ſed etiam à quocunque, cui cuiuſcunque loci rectio iniuncta erit, qui adoptare volet, id faciendo facultatem accipere poſſit.

[a] ſenſus eſt, Veteri iure fœminis (q̄ matres fuiſſent) tantum licuiſſe adoptare in ſolatium liberorum amiſſorum *l. 5. C. de adoptionib.*

[b] Eunuchi & mulieres improles, adoptare iure veteri non potuerunt. De Eunuchis *dixi ad Nouell. 26. ſ. eod.*

[c] Afflictio nullius augenda. *Nou. 40. ſ. eod.*

[d] Qui manus amiſit, verbis teſtari poteſt, *d. Nouell. 26. & l. 10 ff. qui teſtam.*

[e] Ratio decidendi.

[f] ſenſus eſt, Fœminas (licet nunquã habuerint liberos) adoptare poſſe.

[g] Ratio dubitandi.

[h] Prima refutatio dubitationis.

[i] *V. l. 5. Cod. de adoptionib. §. 10.*

[k] ſecunda refutatio *Inſtitut. de adopt. Vlp. 8. §. 9.*

[l] *d. §. 10.*

## QVO TEMPORE † ET A QVIBVS RERVM SVARVM ADMINISTRATIO ADULTIS CONCEDI DEBEAT.

### *CONSTIT. XXVIII.*

Idem Imperator Styliano excellentiſſ. ſacrorum officiorum magiſtro.

† etiam ante xx. & xviii. Quin nõ ſemper anno xx. aut xviii. quod addi oportet legi 2. *Co. de his qui veniã ætatis.*

QVANDOQVIDEM hoc etiam legiſlatoribus rectè placuit, vt [a] minoribus curatores præficerentur, qui parẽtum de illis curã ſupplentes, & ætatis imbecillitatem curæ haberent, & bona conuenienti ſolicitudine illæſa conſeruarent: quod legiſlationi rectè ſe habenti deeſt, ex nobis addendum putauimus. At quis ille defectus eſt? Quod à ſolo Imperatore, iuſſis recedere curatoribus, rerum adminiſtrationem tradi minoribus: idque quum iam præfinitæ ætatis modum attigerint, (quem maribus vigeſimus, fœminis verò decimus octauus annus tribuit) & tanquam ad hanc ętatem, qua ſapere rectèque atque vtiliter res ſuas adminiſtrare poſſunt, iã peruenerint, in plenam rerum ſuarum poteſtatem collocari velit. Verùm quoniam, vt ſapiant, omnibus non [b] eadem ætate contingit, non ita ſimpliciter ſtatui, neque ex ſola ætate ad rerum ſuarum gubernationem pariter omnes produci oportebat, ſed erat quam ætatem cuiuſque eorum qui rerum ſuarum adminiſtrationem ſuſcepturi eſſent, ſtatus requireret, inſpiciendum. Quid enim? an quum hic, poſtquam eam ætatem egreſſus ſit, nondum autem ſatis ſapere cœperit, adminiſtratione dignus iudicatus fuerit: ille, quanquam etiamnum infra eam ætatem ſit, prudentia tamen non deſtituatur, vt rectè res ſuas adminiſtrandas ſuſcipere non poſſit, ab adminiſtratione arcendus erit? Quando igitur non [c] minus animo quàm corpore inter ſeſe homines differunt, & alij etiam ante legitimũ tempus rationem bene conſtitutam habent: aliis verò etiam id ſupergreſſis mens nondum ſtabilita eſt: quòd lex hæc ita vellet, vt defectuoſa eadem eſſet factum eſt. Quin & alia huius legiſlationis incommoda ſunt. Ac primum quidem, quòd difficile, imò verò prorſus impoſſibile ſit, vt ad omnes legiſlatoris voluntas pertingat. Quomodo namque qui longis terrę mariſque diſtinentur interuallis (vti interim alias vitæ difficultates, vt morbos, inſidiarum hoſtilium metus, membrorumque mutilationes omittam: quæ perſæpe difficultates, ne in ipſo quidem domicilij loco prodire, nedum longinquã profectionem ſuſcipere permittunt) quomodo, inquã, hiſce, ſexcentiſque, quæ mortalium vitam allidunt rebus aliis *adoleſcentes* impediti, rerum ſuarum adminiſtrationem ab vnius Imperatoris nutu petent? Quod ergo (ſicut ſuperiùs diximus) legiſlationi deerat, id adimplentes, iubemus, vt [d] *qui puberes* imperfectæ ætatis tempus iam ſuperarunt (mares nempe annum xx. fœminæ verò xviii.) animumque ad res gerendas idoneum habent, ac prudentiam, qua adminiſtratio refrenata res non labefactet, vt illa nocenter conceſſa non videatur, collegerunt: his plena rerum ſuarum authoritas detur. Accipiunto itaque hi, iuſtaque poteſtate res ſuas aguntó. At quibus rerum rectè gerendarum iudicium adhuc deeſt, eo quod ſibi ipſis (vtpote qui quum gubernare debeant, imprudentiæ imperio regantur) damnoſi futuri ſint, etiamſi id tempus prætergreſſi fuerint, non percipient. Si quidem ſi, q̃ propoſitus finis erat, vt bona rectè adminiſtrarentur, is necdum præſens ſit, qua ratione, quanquam ætas aduenerit, cũ periculo ipſis committentur quæ ipſius procuratione non rectè adminiſtrabuntur? *Ad hunc* ergo modum qui rebus prudenter præeſſe poterunt, tametſi † ad adminiſtrationis tempus haud dum peruenerint, non prohibebuntur. Vnum eſt enim quod requiritur, ne bona labefactentur, q̃ quũ adſit, ſuperuacaneum eſt ætatem expectare. *Et non tantum* Imperator rerum ſuarum procurationem adminiſtrationemque concedet, verumetiam † quibus cuiuſque loci magiſtratus obtigerit plenamque iuriſdictionem habent. Ita enim legiſlatoris prouidentia omnibus qui indigebunt, vtilis erit, atque lex vim ſuam magis exeret.

[a] *Inſtit. de curatorib.*

[b] non omnes eadem ætatẽ ſapiunt.

[c] Non minus animo quàm corpore inter ſe homines differũt.

[d] *V. Codic. de his qui veniã ætat. impetr.*

† idque additur legi 2. *Co. de his qui veniam ætat.*

† idque additur legi 1. 2. 3. 4. *Co. de his qui veniam ætatis.*

## VT ANCILLARVM PARTVS APVD ALIVM EDITVS, ipſius dominum ſequatur.

### *CONSTITVTIO XXIX.*

Idem Imperator eidem Styliano.

QVemadmodum hunc ſermonem qui nullam præ ſe fert mendacij peruerſitatem, verum eſſe atque rectum ſcimus: ita etiam veram legem, quæ iniquitate peruerti non deprehenditur. Atque adeò ſi qua id non obſeruat, ea lex non eſt, quamuis ea appellatione digna habita ſit. Si

enim hoc legis eſt, vt [a] cuique ius ſuum tribuat, quomodo quæ hoc non præſtat, lex erit? At *cum aliæ etiam* nomine tenus leges in id cõmittere deprehenſæ ſunt, tum verò illa [b] maximè, quæ partum ancillæ, quæ non apud dominum, ſed furto alióve modo ſubducta, apud alium quempiam peperit, poſtquam facinus innotuit, non cum matre ad ſuum dominum abire, ſed ab hoc quem alieni mancipij dominum fuiſſe conſtat, detineri iubet. Hoc itaque quia non rectè ſe habere viſum eſt, conuenienti medela nos dignati, vti ſuus matrem partus ſequatur iubemus. Non enim quia fur, quæ lex domini perſolui debere decernit obtinet, idcirco etiam ille ancillæ ſuæ partu priuari, eumq; alius lucrari debet. Ad lucrum autem huic ſatis ſit, quòd [c] illa ad miniſterium pro arbitrio vſus eſt. At dixerit aliquis: Sed ſi quid in illam, dum poſſedit, impenderit, oportet & ipſum ex precio lucrari: ideóque alienum non eſt partum apud ipſum permanere. Atqui ſi quiſquam ad detinendum fœtum hoc rationem præbere putat: quomodo vt ille *matrem* ſequi debeat, à domino perſolutum precium, nõ maiorem præbebit? Quin quomodo conuenientius non eſt, ſi qui perdidit, indeq; dolores in corde pertulit, ex acceſſione delinimentum ſentiat: quàm ſi ille eam habeat, qui præterquam quòd nihil amiſit (ab illo enim qui furto ſubductam ancillam ipſi vendidit, precium recuperare licet) ancillæ etiã miniſterium lucratus eſt? *Neutiquam ergo* (quomodo diximus) *detineatur partus*: ſed quemadmodum matrem, ſic etiam filium prior dominus habeat. Siue enim qui furtum commiſit, diues ſit, tumq; ipſi quod malè accepit, eius precium reddat, nihil amplius negotij reſtet: ſiue mortuus aut viuus adhuc inopia laboret, vt quæ lex à furibus exigit, exoluere nequeat, tum verò quoque qui ancillam amiſit, eius calamitatem filij cum matre receptione deliniri æquius ſit.

[a] *l. 10. ff. de iuſtitia & iure.*
[b] *l. 10. inf. l. 33. ff. de vſucapionibus: l. 48. §. 5. ff. de furtis.*
[c] ex hoc loco poteſt defendi, Tutorem pupillæ plenam alimentorum penſionẽ imputare non poſſe, ſi pupillæ miniſterio vſus fuerit, & ad ſuum compendium.

## DE MVLIERE QVÆ VIVO MARITO ALIOS DE MATRIMONIO COMPELLAT. †

### CONSTITVTIO XXX.

Idem Imperator eidem Styliano.

† dimittenda, ex Nouella 22. c. 1. §. neglecta Nouella 117. c. 8. & ita reducitur d. Nouella 22.

VT quum leges reipub. inutiles deprehenduntur, neceſſario illas iuſta reipub. prouidentia in melius transformat: ita quoque eiuſdem prouidentiæ munus ſit, vt leges rectè conſtitutas, nihilque ſubditos contriſtantes, a malè conſtitutis ſubditóſq; contriſtantibus ſeligat, hiſq; illas anteponat: præſertim verò quando eadem de re duæ inter ſe pugnantes leges ſtatuunt. Quomodo enim ratione fultum ſit, ſi, quum duces atque præfecti ex peioribus præſtantiores eligantur, & qui in gubernatione ad ſubditorum vtilitatem omnia facturi putantur, præponantur: non item ex legibus, quibus donec reſpub. conſiſtet, præeſſe datur, quum contrà temporanea ducum præfectura ſit, non præſtantiſſimæ, ſed peioris notæ, quáſque neque à principio innotuiſſe decuiſſet, ad gubernacula deducantur? At quorſum hæc à nobis dicta ſunt? Iuſtinianus ille, cuius diadema, præter religionem ſubditorum cura etiam decorauit, quum prius [d] de ſolutione matrimoniorum ſanctionem edidiſſet, vt ſi mulier marito etiamnum ſuperſtite de matrimonio cum altero agat, non amplius illam, vt ipſius membrum ipſi iungi liceat, ſed ceu inſidiatrix ab ipſo auellatur: poſtmodum [e] ſibi ipſe contradicens, ob hanc cauſam dirimi non permittit [f] matrimonium. Nos itaq; ptiorem hominis voluntatem, vt quæ his ipſis quæ ſtatuit roboretur, & aduerſus matrimonia inſidias præcidat, humanæ vitæ conducibiliorem eſſe intelligentes, eam lege lata in repub. obſeruari iubemus: quam verò cantata palinodia inuulgauit, eam in reipub. noſtræ theatro locum inuenire non permittimus. *Si qua* igitur marito adhuc viuo, de contrahendo matrimonio cum altero ſermonem habuiſſe deprehendatur, vt quæ ſe ipſa nefario propoſito abruperit, & matrimonij ſolutione ab illo abſtrahetur, & profectò etiam pecuniarijs pœnis, quibus quæ alijs modis à maritis auelluntur, obnoxiæ ſunt, ſubijcietur. Quæ enim matrimonij compage in vnam [g] carnem cum marito coijt, non acquieſcit autem, ſed ſimul ad alium reſpiciendo, creatorem qui illam coniunxit, contumelia afficit, ſimul in maritum hoſtili animo eſt: quomodo non iuſtè hæc quum prius ſeipſa à coniunctione prorſus abruperit, abſcindetur? Et ſanè quando mulier proteruo propoſito oculum [a] à membro ſuo auertens, in alienum reſpicere geſtit: quæ alia ſigna & teſtimonia ipſam in maritum hoſtilia cogitare deſideres?

[d] *Nouell. 22. c. 16. §. 1.*
[e] *Nouell. 117. c. 8. inf.*
[f] ſaltem non numeratur inter cauſas repudiorum.
[g] *Geneſ. 2. verſ. 24. Mat. 19. verſicul. 5. Luc. 16.*

## VT QVÆ MVLIER MARITI ODIO ABORTAT, REPVDIARI ab illo poſſit. †

### CONSTITVTIO XXXI.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVI hominem è [b] terra creauit coſta ipſius in mulierem transformata, adiutricem [c] illi ex ipſius membris coniunxit: quò videlicet ſuæ creationis cauſam illa cognoſcens, vel hinc diſcat, qua lege erga coniugem, beneuolentiam atq; amorem incontaminatum conſeruet. Quæ igitur ita animata eſt, beneuolentiámque ſuam marito cuſtodit, reuera illa auxiliatrix eſt, neque conditoris promiſſum fallit: quæ verò diuerſo animo eſt, non amplius neque hoc eſſe cognoſcitur: neque quanquam coniugium in vnum illam cum marito cogere anniſum fuerit, caro ex carne, membrúmve ipſius eſt. Idcirco quum de muliere, quæ propter inimicitias quas cum marito habet, de induſtria abortando [d], neque in vitæ lucem fœtum producendo, ſeminis ipſius fructum opprimit, duæ leges latæ ſint, quarum vna [e] repudiare iniuria affectum maritum iubeat, altera [f] verò non permittat: *nos* legi diuortium ſuadenti aſſentientes, illi vt multo vtiliori autoritatem attribuimus. Alienum enim mihi à ratione, prorſúſque iniquum videtur, vt quæ tam apertum in maritum odium ſuſcepit, vt ipſius ſemen diſperdat (vt interim omittam, quòd communi naturæ inſidiata ſit) ipſi cohabitet. Nam ſi [g] qui alicui alij operi damnum inferunt, eos tanquam inimicos auerſamur: quomodo eam quæ procreandorum liberorum operi, tum maximè neceſſario, tum præſtantiſſimo noxam fecit, ipſe qui damno affectus eſt, vt ſuam apud ſe habere poterit, nec vt inſidiatricem & hoſtem dimittet? Quod inſuper euidentius ſignum requiras, vt mulierem marito inimicam eſſe cognoſcas? quomodo id inde manifeſtum non eſt, quòd dum aduerſus illum hoſtilia cogitat, in vitam progreſſu fœtum priuat? Quomodo igitur dictum eſt, lex quæ ipſos ſeparat, obtineto, maritúſque ſecedendi à muliere in hoc facinore deprehenſa, facultatem habeto. Nam ſi quæ ſolum extra [h] ædes manſit, aut cum hominibus cum quibus non deceret conuiuata [i] eſt, hanc lex à nexu matrimoniali ſeparat (quum tamen hic in maritum odij nullum tam euidens teſtimonium ſit, & accidiſſe id illi citra matrimonij iniuriam videri etiam poſſit) cuius rationis erit, eam quæ tantum támque in maritum & naturam iniurium odium conceperit, non diſiungere, ſi ita marito videatur, & iubere ipſum vxorem habere quæ ipſius vitæ inſidietur?

[a] Tertul. lib. *de velandis virginibus*, oſtendit Nuptias de animo & affectu fieri, quemadmodum & ſtuprum: *adde Mat. 5. verſic. 28.*
† vt Nouell. Iuſtiniani 22. c. 16. §. 1. fuerat conſtitutum: omiſſum verò in Nou. 117. *c. 8. inf.*
[b] *Geneſ. 2.*
[c] Mulier ex viro & propter virum. *Tertull. 5. aduerſ. Marcionem & lib. de veland. virginibus.*
[d] de abortu *vide l. 8. ff. de ſicarijs. l. 39. ff. de pœnis.*
[e] *Nouell. 22. 16. §. 1.*
[f] *Nouell. 117. c. 8. inf.*
[g] Exaggeratio criminis abortionis.
[h] *d. Nouell. 117. c. 8. verſi. ſi nolente viro foris domũ manſerit.*
[i] *Nouell. 22. ca. 15. §. 2. Nouell. 117. c. 16. ibi, ſi cum viris extraneis nolente marito cõuiuatur.*

## DE ADVLTERIS MANIFESTO [k] DEPREHENSIS. †

### CONSTITVTIO XXXII. [l]

Idem Imperator eidem Styliano.

ADVLTERII ſcelus, ſi quod aliud, grauem horrendámque pœnam exigit, & (vt puto) homicidij pœna non [m] minorem. Homicida enim perſępe vnius tantũ ſanguinaria manu vitã euertit: ſceleſtus verò adulterij perpetrator quamplurimos [n] ferè de medio tollit, maritũ, liberos, cognatos, alióſq;, dum vno vulnere dilacerato matrimonio omnes proſternit. Veruntamen quia, quũ olim id facinus morte [o] puniretur, viſum eſt poſteriorib. mitiorẽ proferre ſententiã: ac verò nos ferè ad benigniora trahimur: q̃ illi conſtituerunt pœnã, vt nẽpe naſus [p] deteſtandis illis ambob. abſcindatur, hanc & nos ſtatuimus. atq; hæc quidẽ nefarij iſtius ſceleris eſto pœna. Ac quoniam maritum

[k] ἐπαυτοφόρῳ. *dixi ad l. 23. ff. de adulte.*
† & eorum noua pœna, quippe naſus præſcindi adulteris iubetur hac conſtitutione, quod veteribus legibus non erat.
[l] decima nona dicitur, ab Harmenopul. *6. tit. 2.*

[m] Adulterium pœnam homicidio non minorem meretur. [n] Exaggeratio criminis adulterij. [o] Adulterium olim morte puniebatur *v. l. 30. in f. ff. de adult.* [p] Harmenopulus *d. loco.* Sic manus furibus præciduntur in Longobarda *l. de latronibus: l. Si quis latro, de furtis, in Longobard:* & in patriam conſpirantibus *l. de conſpiratoribus, de aggreſſoribus in via factis in legibus Longobard: adde quæ dixi ad Nouellam 134. cap. 13. verſic. ſi verò criminis qualitas, vbi de pedis, manuum, aurium, & narium amputatione dixi & excæcatione.*

[a] V. quæ dixi ad Nouel 134 c.10. & Nou. 117, c.8.

pro tanta iniuria citra conſolationem relinqui non oportet, in matrimonij ius iniuriæ mulieris[a] dotẽ percipiendo ſe conſolator. Inſuper mulieri ad alteras nuptias proſultare, neque, quaſi in naſi abſciſſione præmium acceperit, liberè in poſterum ſe cum libidinoſis commiſcere, nequaquam permittitor: ſed ob ſcelus commiſſum in monaſterium (vbi in contritione animæ leuiorem ſibi pœnam faciat) velut in exilium detruditor. Et, ſi monaſticæ vitæ deſiderio correpta, illam ſuſceperit, quæcunque ipſius bona à dote ſeparata ſunt, ea liberi & monaſterium inter ſe diſtribuunto: ſi liberi nulli ſuperſint, pro illis parentes: & ſi neque hi ſint, alij cognati ad diuiſionem inducuntor. Quòd ſi in prophano habitu è vita excedat, quum teſtamenti factionem omnino habeat, prout illa conſtituerit, quæ bona extra dotem habuit, diſpenſabuntur.

## NE CAPTIVORVM VXORIBVS alijs nubere liceat. †

† etiam poſt quinquennium: & ita abrogatur Nouella 22. c.7. verſ. ſi vero incertum Nou. 17. c.12.

### CONSTITVTIO XXXIII.

Idem Imperator eidem Styliano.

SI qui olim leges tractarunt, eo fuiſſe animo, vt prorſus ſua, quanquam in illis correctione nonnulla indigerent, corrigi tamen nollent, ſuſpicatus eſſem: fortaſſe nũquam hoc cõſilium ſuſcepiſſem, vti leges, quæ ſeſe rectè non haberent, corrigere tentarem, & tametſi arcta reipublicæ cura, quo videlicet rectè illa adminiſtraretur, neceſſariò correctionem iniunxiſſet: vt ne tamen primos legiſlatores contriſtare videremur, qui nos in hoc impetus ferret, inhibuiſſemus. At quoniam illis quoque ipſis, ſi etiamnum in viuis eſſent, non modo illorum inſtitutum qui corrigere conantur, non diſpliciturum, ſed eoſdem etiam qui ita faciendum cenſerẽt, his gratias acturos arbitror (nõ enim gloriæ cauſa, ſed quòd reipublicæ commoda curæ haberent, leges edidere) age, quæ reipub. conducant, neque illis ipſis veteribus legiſlatorib. diſpliceant, facientes, exactiore conſideratione, ceu medicamento quodam Pæonio[b], legum morbos ꝓpitio Deo curemus. Supra cætera etiam vbi de captiuis ſanxerunt, hoc caput, in quo de matrimonij diſſolutione ſtatuerunt, valde rationi eſſe diſſentaneum videtur. Sic autem & in hæc verba aiunt[c], *Siue* marito captiuitatis infortunium accidat, manente vxore in ciuitate: ſiue quum vxor in ius captiuitatis peruenit, maritus in ciuitate permaneat: exquiſita quidem & ſubtilis ratio diſtrahit matrimonium. Semel enim ſeruitute alteri ſuperueniente, conditionis inæqualitas æqualitatem, quæ in nuptijs ſpectatur, permanere non patitur. Nos tamen humanius talia contemplantes, *donec certum* eſt ſupereſſe maritum vel vxorem, pro non ſolutis matrimonia haberi ſinimus: neque ad alias migrabunt nuptias vel mariti vel vxores, niſi petulanter id egiſſe videri velint, & in pœnas incidere, ille quidem exactionis donationis ante nuptias, hæc verò dotis. Hi ergo iſtiuſmodi de captiuorum matrimonio pronuntiarunt ſententiam. Nobis autem neque cauſa, quam exquiſita (vt ipſi loquuntur) ſubtiliſque ratio ſuppeditat, rationi eſſe conſentanea: neque humanitas, quæ dirimendi matrimonij facultatem præbet, dum ipſos damno ſubijcit, ſincera videtur. Si enim (quemadmodum inquiunt) durare matrimonium fortunæ non[d] permittit inæqualitas, quomodo ſi ad libertatem reuocetur captiuus, quum poſt matrimonij diſſolutionem ad æquabilitatem fortuna redeat, ambóque in libertate viuant, ad æqualitatem matrimonium non redibit? Quæ verò illa ſincera humanitas, quę amiciſſimorum membrorum ſubtractione damnum inferre aliorumque ſubſtitutione id quaſi ſarcire conatur? Quomodo item, etſi vſque ad viliſſima quæque captiuorum ſubſtantia iure ſtatuque ipſorum integro taxetur, illos non ita præſtantiore parte (ſui nempe membri conſeruatione) atque rerum ſuarum iure periclitari velle, immenſúmque damnum fore, ſi altera pars membrum ſuum negligere in animum inducat, non perquam eſt manifeſtũ? Quid igitur ego? *Si quum altera pars* in captiuitate ſit, altera quæ à captiuitate libera manſit, ad alterius coniugium reſpexerit: poſtliminio verò reuertatur quæ in captiuitate detenta fuit: vt illi[e], ſi velit, ſuum membrum recipiendi facultas ſit, ac nequaquam quod alteri coniũctum fuerit, prius matrimonium innouetur. Si enim cõiugium cum altero poſtmodum initum videbitur aliquibus diſſolui non oportere, quomodo non æquius fuerit, ſi primus matrimonij nexus in ſuũ ſtatum reuertatur? Et ſi, eo quòd alienæ parti coniunctum ſit, id quiſpiam auelli non permittat: quomodo quod à ſua parte abruptum ſit, id in ſuum locum reſtitui, rationi non fuerit conſentaneum? At dixerit aliquis: Sed in lucrum captiuis cedit, quod propter alterum temeritate contractũ matrimonium, per compenſationem pœnæ nomine introductum eſt. Verùm hunc ſermonem non dico non labris exprimi, ſed ne in mẽtem quidem authoribus eius venire melius fuerit. Nam quomodo ille qui membrum ſuum pecunijs commutat, non extrema mentis infœlicitate & penuria laborat? Sancimus itaque, *vt nequaquam* amplius quæ pars à ſeruitute intacta manſit, ad alterius coniugium procedat: ſed quotcunque annis altera in ſeruitutis miſeria detinebitur, tametſi † inde nullam neque de ſcripto, neque citra ſcriptum ſignificationem accipiat, illam expectet. Et quòd ſi præter hanc legem alterius matrimonij commercio à priore abrumpi aliqui velint, idque non ſecundum obſeruationem in Nouella centeſima decimaſeptima de vxoribus eorum qui in expeditione ſunt relatam, fiat: ſciunto illi, quòd poſitis in dicta conſtitutione pœnis ſubiacebunt. Inſuper etiam (quemadmodum diximus) vt ſi qui ſeruitutis ærumnas ſuſtinet liberetur, ſuum ſi velit membrum recipiat licebit.

[b] Medicamẽtum Pęoniũ.

[c] Nouell. 22. c.7. in prin.

[d] l. 45. ff. de ritu: l.1. ff. de diuort: l.10. l.56 ff. ſoluto: l.12. §. 4. ff. de captiuis.

[e] dixi ad Nouell. 117. c.11.

† quid exigebatur d.c.11.

## DE TVTORE QVI PVPILLAM ſuam[a] vitiat. †

### CONSTIT. XXXIIII.

Idem Imperator eidem Styliano.

NEFARIA res eſt, ſi illi de quibus ea expectatio fuerat, quaſi probi futuri eſſent, quum ab illis qui talem de ipſis opinionẽ conceperant, iam aliqua fide digni habiti ſint, pro bonis atque fidis inimicos & infidos ſe exhibeant. In illis autem quibus pupillorum obuenit cura, ſi, cum pupillis ſalutariter proſpicere debeat, ipſorum euerſores exiſtant, tanto id ſcelus grauius[b] eſt, quanto illorum fides ab ijs qui id ipſis iniunxerunt, maior iudicata eſt. Conſtat enim, quòd parens perſuaſum habens, quos pupillaris ætatis relinquit liberos, ab eo cui cura committenda eſt, paternum patrocinium ſenſuros, eam cui ita fidit, demandat. Rectè igitur ſuperiores fecere, qui prò patre conſeruatoreque pupillæ deprehenſum viriatorem punierunt. Deportationi[c] enim hunc ſubijciunt, ac bonorum priuatione multant. Verùm in decora ſpecie decorum non ſeruarunt, neque vllam iniuria affectæ grauiaque paſſæ puellæ, vt illius infortunio ſuccurrerent, ſuſcepiſſe curam videntur, dum vitiatoris bona in fiſcum ſtatuunt eſſe inferenda: non animaduertentes hinc fieri, vt vlciſci quidem iniuriam velle, ſed in propoſito non perſiſtere exiſtimentur. Vbi enim iniuriæ vltio quando iniuria affecto damnum iniuria datum non reſarcitur, neque qua tenetur calamitatem legis auxilio effugit? Quale autem calamitatis puellæ eſt effugium, quando non modò infortunij compenſationem non inuenit, ſed lucrum[d] etiam progreſſu ætatis ex ſuo dedecore atque infamia paratum eſſe videt? Vt igitur hoc lege, tanquã[e] probrum aliquod reprehenſione affricatum purgemus, *vt vitiatoris* bona in fiſcum deferantur, abrogamus: iubemus autem, vt eo concedant quo ipſorum dominus iniuriam & infortunium proiecerit.

[a] id eſt cuius tutelam vel curam gerit; vel geſſit. idque ita communiter intelligi tradit Clarus 5. *ſent. §. fornicatio verſ. cum pupillus.*

† eiúſque bona pupillæ vim paſſæ ad dicendis, non fiſco vt olim *l. vn. C. ſi quis eam cuius tutor fuerit, corruperit.*

[b] Duci proditori comparatur violator pupillæ tutor *Quintil. declamat.* 284.

[c] *d.l. vn.*

[d] ποειζόμενον ἕτερον ἔτεσιν κέρδος ὁρᾷ Scrimg. ποείζομενον ἕτερον κέρδος *Cuiac. 17. obſ.* 32.

[e] ὥσπερ κηλίδα μώμῳ Scrim. ὥσπερ κηλίδα μῶμον. *Cuiac. d. loco:*

## DE RAPTORIS VIRGINIS EOrúmque qui in partu adfuerunt pœna. †

### CONSTITVTIO XXXV.

Idem Imperator eidem Styliano.

NEQVE quòd eccleſiaſticæ legi rebellemus, neque ꝙ ciuilem ſimpliciter colliſdamus, hanc aduerſus virginis raptorem ſententiam proferimus: ſed poſteaquã, velut via quadam rebus humanis cõducibili inueſtigata, commiſeratione ſacræ legis id malum quaſi inſoleſcere, ciuilis verò legis auſteritate ſupprimi cognouimus: in eam ſententiam, vnde

† mutatur lex vnica *C. de raptu virgin. adde Nouel.* 143. & 150. *de ea quæ raptori ſuo nubit 6. Harmenop. 7. Clar. 5. ſent. §. raptus.*

rerum ſtatui plus ſubſidij eſſet, inclinauimus. Vult autē ciuilis lex[a], vt non ſolùm qui per raptum & vim virginem ingenuam ſtuprauit, morti addicatur, inſuperque ſupra mortis adiudicationem bonis priuetur: verumetiam qui in ſcelere adiumento fuerunt, eandem & pœnam & multam ſuſtineant: idque tum etiam, quum volūtariè ſe mulier raptori dedit. Quin & eius patrem, ſi facti conſcius fuerit, deportatione punit. Neque verò tunc ſolùm, ſed etiam, ſi quum quo tempore raptus committeretur, eius rei ignarus fuerit, filiolæ vitiationem poſtmodum parui pendat, reoque iudicium remittat, aut iſtiuſmodi matrimonium approbet, in incuriæ pœnam deportationem ſuſtinet. Atque hæc quidem veteribus placuere. Verùm ſempiternæ memoriæ pater noſter non tantum in mulieris raptum, verumetiam in circunſtantias oculos dirigēs, ad illas ſententiā accommodat ac ſancit, *Vt ſi cum armis*[b], ſiue gladijs, aliiſve nonnullis præter gladium lethalibus raptus commiſſus ſit, qui raptum fecit, gladio puniatur: vtpote qui eo quod cum armis ad id factum proceſſerit, neque ab homicidio immunis ſit: qui verò ſuppetias[c] tulerint, factive perpetratores ſuſceperint, naſo mutilentur, verberentur, & cute tenus tondeantur. Quando autem arma violentiæ adhibita non[d] eſſent, vt mortem ſententia non ſpectet, quod nempe tunc homicidium locū non habuerit: ſed raptus auctor manus[e] mutilatione periclitetur, qui verò miniſterium[f] præbuerint, alioquíve ſe iſti rei immiſcuerint, verberibus, tōſura & deportatione pœnas pendant. Ac ſanè corporalis pœnæ hęc eſt deſcriptio. Quod verò ad pecuniariam attinet, ne à primitiua legiſlatione mutetur, eiúſque effectum retineat, permittitur[g]. Atq; hęc quidē pater noſter ſancit, quorū & nos approbatricem ſententiam ſuſcipientes, legiſlationem illam & in præſens & in futurū auctoritate & effectu obſignauimus.

[a] *d.l. Vn.*

[b] de eo qui cum armis virginem rapuit.

[c] de eo qui ſuppetias raptori cum armis tulit.

[d] de eo qui ſine armis virginē rapuit.

[e] de manus mutilatione dixi ad *Nou.* 134.*c.*13.

[f] de eo qui opem tulit raptori ſine armis.

[g] eaque in re nihil mutatur d. legis vnicæ.

## VT CAPTIVI FILIVS [h] hæres ſit. †

### *CONSTIT. XXXVI.*

Idem Imperator eidem Styliano.

SI reipubl. ſuſtentaculum[i] atque fundamentum ſunt leges, certè vt illa in tuto ſit, ſanitatem leges conſeruent oportet. Legis autem ſanitatem quid aliud quàm æquitatem quis dicat? Circa hāc itaque, quo leges, quæ remp. noſtram gubernāt, æquabiliter ſeſe habeant, cogitationes noſtras obuertētes, legem illam, quæ eum qui ex duobus *captiuis natus eſt* hæredem bonorū eius parentis qui apud hoſtes manſit, fieri non vult: hanc (inquam) legem, ne legum ſanitate (quæ æquitas eſt) priuetur, periclitari animaduertentes, illam ad ſanitatem transformare voluimus. Nam quod iniuſtè iſtud ſtatuat, non difficile cognitu eſt. Quam enim vim locorum natura ad aſcribendam filio hęreditatem habet? Neq; verò hoc quiſquam obijciat, quod quum parens ſeruus ſit, propter ſeruilem conditionem filius exhæres erit. Quomodo enim ciuilis lex, quæ, ſi captiuum liberari contigiſſet, illum liberum agnoſceret, ex eo natum liberum hæredem eſſe non permittet: ſed qui apud hoſtes eſt, ſeruo bonorum adminiſtrationem dabit? tum etiam ad quem captiui bona aliquis pertinere putabit? Ad cognatóſne? At quomodo ſeruitus obſiſtēs his ad hæreditatem introitum non præcludit? Aut quomodo quib. permiſſum eſt? non longè prius hæredes eſſe licebit. An verò fiſco danda erunt? Verùm quomodo manifeſta illa iniuria non eſt? Si etenim rationi conſonum eſt, vt[k] captiuorum liberi è publico ſubſidium ſentiant: quomodo captiui filium bonis priuari, illaque fiſco attribui, non perquam euidens iniuria eſt? Quòd ſi ſępenumero, quum nonnulli parentes grauiter conſcientia abuſi, atque ideò pœnis ſubiecti, acerbeque è viuis ſublati ſunt, liberi eorum ſubſtantiæ domini eſſe lege non[l] prohibentur: quæ ratio eſt, quamobrem quādo pium propoſitum parentes decorat (& quidem in fidei teſtimonium effuſus ſanguis, vt eximius ipſorum animus, magnúſque ſpiritus ipſis etiam impijs miraculo eſſet, perſæpe effecit) liberi facultatum ipſorum domini eſſe non permittantur? Nequaquam itaque conſtitutio illa ſana eſſe noſtræ Maieſtati videtur: eáque propter ſancimus, vti deinceps, ſiue quum captiuitatis caligine circumfuſi parētes eſſent, in lucem prodijt filius, ſiue etiam in libertatis ſplendore ipſum mater pepetit, parentum ſubſtantiæ hæres ſit: idq; ſiue ambobus parentibus è captiuitatis vinculis liberari continget, aut non: ſiue[a] quum vnus eorum libertatem nactus ſit, alter in calamitatis vinculis vitam finiet: ſiue denique vterque parens in captiuitate morietur: extra quam ſi mortem teſtamento condendo prępeniant. Tūc enim illi quos teſtator voluerit, hæredes erunt: tamen vt trientis legitimum ſubſidium filio ſeruetur.

[h] .i. captiuo natus.

† olim non erat niſi ambo parentes poſtliminio redijſſent. & ita abrogatur lex 1. *Cod. de poſtli. reuer.*

[i] legum commendatio *ad de l.*2. *de legibus Nouella Iuſtin.*163.

[k] Captiuorū liberi è publico alendi.

[l] *§.l.*6. *ff. de bonis damnat.*

[a] & hoc adijcitur d.l.1. *C. de poſtlim. reuer.*

## *VT DOMINI TESTAMENTO MAnumiſſus, ſi illum deceſſiſſe, aditamque eius hæreditatem eſſe ignoret, teſtari poſſit. †

### *CONSTITVT. XXXVII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

PRAESENTI etiam legi plena abſolutione deficienti, eius quod deeſt additione decoram formam imponimus. Ait autem[b], ſeruū qui quum domini ſui teſtamento liber eſſe iuſſus ſit, id ignorat, ideoque incertis rationibus libertatem obtinet, interea nequaquam propter ignorantiam libertate priuari, ſed in libertate viuere: vt autem tanquam liber teſtetur, ipſum poteſtatem non habere: quaſi videlicet illam pœniteat, quam libertatem dedit, hanc ipſi perpetuò competere. Quum enim illi vt libero de rebus ſuis teſtādi facultas non ſit, quomodo non ad priſtinam ſeruitutem redit. Nos itaque dicimus, poſteaquam gradum ſtatúmque vitæ liberum præbuit lex, illam etiam[c] alia quæ libertatem comitantur, præbituram. Nam ſi ipſum facere quæ hominibus liberis duntaxat licent, prohibere oportebat, ipſa verò id non prohibuit, ſed dignum illum qui iſthæc faciat iudicauit: quare item iſtis actionibus, quæ propriè libertatis dignitati competunt, illum non dignabitur? *Eſto igitur* libertate donatus, reuera liber, ſtatuitóque de rebus quas illi dominus eximias dedit, quomodocunque viſum ſit. Non decet enim vt qui libertatis dignitatem manifeſtè accepit, ob[d] incertam ſuſpicionem ignominia afficiatur, atque à teſtando arceatur.

† & ita abrogatur lex 1. *ff. qui teſtam.*

[b] *d.l.*14.

[c] data libertate, quod neceſſario cōſequūtur libertatē, data etiam videntur.

[d] ea fuit ratio decidēdi veteribus, *de qua* §. *l.* 4. *in f. l.*15. *ff. qui teſtamenta: l.*1. *ff. de legat:* 3. *Vlp.* 20. §. 11.

## *VT IMPERATORIS† SERVI DE rebus ſuis quomodo velint, ſtatuere poſſint.

### *CONSTITVTIO XXXVIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

HOC quoque, quāquam plauſibilem præ ſe ſpeciem (legalem nempe ordinationē) ferat: æquitatem mihi tamen excedere videtur. Dico autem, quòd ſeruis de rebus ſuis ſtatuere nō permittitur: ſed quæ laboribus ſuis arduíſque (vt conijcere licet) moleſtijs quęſierint, ea cuiuſque domini manus colligunt. Ac ſanè mirari ſubit, quomodo ab initio lata lex nihil moderationis neque æquitatis huic attribuerit. Veruntamen ij è quibus nata iſta lex eſt, atque adeò lex ipſa ab alijs, vt cuiuſque voluntas feret, approbātor. *Ego autē* nequaquam illos probo, neque illud placitum in ſeruis meis[e] obtinere ſinam: ſed contrà, plenam ipſis adminiſtrandarum rerum ſuarum poteſtatem facio. Ex hoc itaque tempore in omnem poſteritatem Imperatoris ſerui rerum ſuarum reuera domini ſunto: ita ſanè, vt ſiue ſani ſint, ſiue ægroti mortem imminere putent, de rebus ſuis pro arbitrio ſtatuendi poteſtate non priuētur: neque ſeruitutis nomine ex rerum quas poſſederint dominio expellantur. De Imperatoris igitur ſeruis hęc nouiter lata lex eſto, vigorémque habeto. Magiſtratibus autem reliquæque promiſcuæ plebi, ſi huic noſtro placito acquieſcere nolint, ad veterem de ſeruilibus bonis legem reſpicere fas eſto.

† ad eundem modū olim ſeruis populi Romani teſtari licuit *Vlp.* 20. *in f.* ſeruis priuatorum aut ciuitatis non licuit *l.* 16. *l.*19. *ff. qui teſtamenta.*

[e] lex eſt ſpecialis, quę ad omnes ſeruos nōn porrigitur. interdum tamen humaniores domini ſeruis teſtari permittebant. ſed inter domeſticos tātum §. *Plin.* 8. *epiſt.*16. *dixi ad l.* 4. *ff. de manumiſſ. & ad Vlp.* 5. §.5.

## VT PRODIGVS QVÆ EX RE IPSIVS ſint, † facere[f] poſſit.

### *CONSTIT. XXXIX.*

Idem Imperator eidem Styliano.

MORTALIVM nemo ad eam abſolutionem peruenit, vt non obnoxiè aliquando res ſuas gerat: neque quiſquam (ni fallor) ita deſipit, quin crebro ſibi vtilis eſſe poſſit. Neque enim

qui in

† τὰ σύμφέροντα, & ita abrogatur §. 2. *Inſt. quibus nō eſt permiſ. facit l.*1. *ff. de curatorib.* §. *l.*18. *ff. qui teſtam.*

[f] tum inter viuos, tum mortis cauſa *j. cod.*

qui in omnibus prudentiæ ſuæ fidit, hunc omnia irreprehenſibiliter facere ſinit Deus: neque idem, quum creator creaturæque ſuæ curator ſit, mentis inopem per omnia ex imprudentia fruſtrari permittit. Præfatus hoc ſum propter illam legem [a] quæ prodigum de reb. ſuis quicquam aut velle aut ſtatuere, omnibus modis prohibet. Quam quidē legem, coniectis in res geſtas oculis, pro illarū ratione, non autē ita ſimpliciter ſancire: &, ſi quid inutiliter geſtum eſſet, non admittere: in quo verò aliqua vtilitas verteretur, id ſuſcipere oportebat. Nunc verò nihil iſtiuſmodi præſcribit, ſed in vniuerſum prodigo de rebus ſuis cōſultandi poteſtatem adimit. Id nos recto iudicio non cōuenire ſuſpicati, legem illam relaxātes, ſtatuimus, *Vt quæ iudicium* erroneum, quódque prodigum deſignet, dictet, neque approbatione, neque confirmatione digna habeantur: quę verò ad vtilitatem ſpectent, ſuſcipiantur, atque nequaquam reprobentur. Quid enim, ſi [b] prodigus aut hæreditatem neceſſarijs ſuis relinquere, aut pauperibus ſua diſtribuere, aut deniq; grauem ſeruitutis torquem ſeruorum ceruicibus adimere velit? An ideò quòd prodigus eſt, id illi non licere velle dicendum? Quid, ſi quum prædium damnoſum habeat, alter quiſpiam, qui vitio mederi poſſit, maiore pretio quàm quanti prędium ſit, id emere, ipſúmque damno leuare velit? An prodigalitas, quò minus ille ſibi conſulat, vtilitérque negotietur, impediet? At rationem non video. Quod itaque dixi, rerum geſtarū conditio obſeruator: & ſi in ea prodigi [c] mores non conſpiciantur, quod actum eſt, ratum eſto: ſi verò à prudenti rerum geſtione aberratum eſſe appareat, id neque approbatione, neque confirmatione dignum habetor.

[a] *d.* §. 2: *d. l.* 1. *d. l.* 18.

[b] Prodigus non cenſetur bonis malè vti, quoties hæreditatem neceſſarijs perſonis relinquit, & pauperibus bona diſtribuit, aut ſeruos libertate donat.

[c] Prodigi mores in eo non ſunt, qui bonis ſuis rectè vtitur.

## VT CAPTIVI TESTAMENTI factionem habeant. †

† & ita abrogatur §. *Vlt. Inſt. quib. non eſt permiſ.*: lex 8. ff. *qui teſtā.* lex 10. ff. *de teſtam. milit*: *Paul.* 3. *ſent.* 4. §. 8.

### CONSTIT. XL.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVI olim edendis legibus operam nauauêre, quum multa ad res humanas rectè moderādas in medium protulerint, locupléſque benignitatis ſuę teſtimonium (leges nempe, ſecundum quas reſpub. concinno in ſtatu conſeruatur) reliquerint: tum haud ſcio qua ratione fecerint, vt de captiuis tractatus, quibus de rebus ſuis ſtatuendi poteſtatem non faciunt, reliquæ ipſorum benignitati non reſponderet. Quæ enim de teſtamētis ipſorum legislatio complectitur, valdè comiter ac benignè conſtituta ſunt, Nam quod ſtatuerunt, vt interdum quando [d] inopia teſtium laboraretur, à minore etiam teſtium numero teſtamentū obſignaretur: quin & nullis [e] adhibitis teſtibus, perſæpe tamen teſtamentū ratum haberetur, quemadmodū de [f] ijs qui in acie occumbunt conſtitutum eſt: permagnum ſanè benignitatis eſt argumentum. At de captiuis placitum iam dictorum non eſſe ſimile, neque ex eadem benignitate prognatum videtur. Quòd nanque de rebus ſuis cōſtituere illis nō permittunt, non ſolùm non benignum aliquid de ipſis decreuerunt: verumetiam [g] ipſam captiuitatem alio modo intendunt. Quomodo enim rurſum illos in captiuitatem non ducunt? aut quomodo malum irrecreabiliſque triſtitia non adaugetur, & morte acerbiorem in corde captiuus non circunferens aculeum, rebus excedit humanis: quando non modò in captiuitate vitam finit, verumetiam ſi qua apud contribules bona habet, de his illi conſtituendi poteſtas non eſt: ſed ſuis rebus, tanquam alienis expellitur: & quæ ſuis laboribus quæſierit, proque quibus ſuſcepto periculo in captiuorum infortunium incidit, ab horum diſpenſatione eijcitur? Quomodo item, ſi quos neceſſarios captiuus habet, vt liberos, vxorem, fratres, aut alios, quos ad ipſius hæreditatem lex vocat, ij non ſimiliter omnes obuerſis in hæreditatem ab inteſtato ad ſe deuoluendam oculis, curam liberandi captiui, illius conſequendæ ſpe non omittent? Nouimus ſiquidem res humanas, vt pauci admodum verum amorem conſeruent, eiuſque vnius gratia ad opitulādum calamitate implicitis perpaucorum animus excitetur. At qui ſpe nanciſcendæ cuiuſdam remunerationis ad ferendum indigentibus auxilium procedant, horum ſanè longè maximus eſt numerus. Qua re itaque moti cognatus aliúſque quiſpiam captiuorum ſuſcipiant curam? Si quidem ſtatuendi facultas de rebus ſuis ipſis eſſet, nonnulli laborem damnoſum ſibi non futurum reputantes, non ſegniter illum ſuſcepturi eſſent. Cogitarent etenim (vt veriſimile eſt) ſi aut conatus ipſorum ad finem deduceretur, captiuique libertatem conſequerentur, ſe munus aliquod eſſe pro opera ſua & labore accepturos, aut etiam ſi conatus finem mors præueniens, captiuum de medio tolleret, illum in teſtamento ſuo eum qui ipſius curam habuiſſet, maiore portione quam illos qui ipſum neglexiſſent dignaturum. Non enim immemorem fore ipſum, neque labores nihili facturum arbitrarentur. Hac igitur ratione (quemadmodum dixi) futurum eſſet, vti aliqui non indiligenter ad liberandorum captiuorum curam ſeſe erigerent. Nunc verò cùm hi teſtari prohibeantur, illi autem ab inteſtato hæredes in bona concedant: haud ſcio ſi, qui pro liberatione labores ſuſcipiat, quiſquam inueniri poſſit. Succeſſionis enim ab inteſtato ſpes metúſque ne in vanum laboretur: ſi fortè liberationem mors præuertat, captiuúmque rebus humanis eximat, *homines* tardiores (vt ne prorſus animo alienos dicam) ad id aggrediendum facit. Quod ſanè non itidem contingeret, ſi lex illorum teſtamenta irrita non faceret. Iam verò ſi liberandæ animæ pretium propriæ cuiuſque facultates ſunt, quomodo non in hoc etiam captiui iniuriam longè maximam ſuſtinent, quòd dum non ſinuntur à lege de rebus ſuis ſtatuere, etiam ſi velint, pro animabus ſuis nihil rerum ſuarum erogare poſſint? Ad hæc porro cum liberationis ratio hinc abſurditatem contrahat, tum verò multò abſurdiſſimum eſt, quòd dum teſtandi facultas captiuis non datur, frequenter illi qui inimiciſſimi [a] fuiſſent, quóſque ipſi, ſi viuerent, ne aſpicere quidem ſuſtinerent, illorum facultatum domini exiſtant. Qua quæſo re quid poſſit eſſe turpius? Hoc igitur quum hunc ad modum ſeſe habeat, non negligi debere Maieſtati noſtræ viſum eſt: ſed quemadmodum in alijs pro viribus diuinitus nobis datis, vt rectè reſpublica noſtra gubernetur ſolicitè egimus: ſic & de captiuis tractatum in melius corrigere decreuimus. Sancimus autem, *Vt dehinc captiui*, quæ ipſos à teſtando arcet, legi neutiquam obnoxij ſint: ſed vt ipſis (ſi poſſibile ſit) quinque: ſin minus, tribus teſtibus [b] præſentibus, extremam voluntatem, ſiue literis commendare, ſiue [c] ſine ſcripto pronunciare liceat: tamen vt qui ad teſtimonium aſſumpti ſunt, reuera illam defuncti voluntatem eſſe iureiurando affirment: idque ſiue quum liberi ſubſint, illos bonorum ſuorum hæredes relinquāt, ſiue [d] quum liberos non habeant, alios in hæreditatem introducant. Æquum enim non putamus vt qui communis reipub. nominis æqualiter participes ſunt, eiuſdemque eſſe gentis cenſentur, non æquabili ex lege iure honorentur: vt videlicet qui liberi à ſeruitute ſunt, ſtatuendi de rebus ſuis, vti viſum eſt, poteſtatem habeant: quibus verò illa manus intulit, quaſi culpam cōmiſerint, quòd pro tribulibus propugnando in captiuitatis neceſſitatem deuenerint, non item. Cæterum ſi captiuorum quiſpiam aut ſua ſponte, aut eorum quorum in poteſtate eſt, vi adactus, hoc in animum inducat, vti res ſuas ad hoſtes concedere teſtamento iubeat: nequaquā tunc placitum ipſius ratum ſit: quaſique non pro [e] decoro reip. Chriſtianæ teſtamentum factum ſit, in irritum concidat. Atque hæc quidem de ijs qui vitæ finem teſtamēto anteuerterunt ſancita ſunto. *Si verò vltimus* vitæ dies ſubitò illi ſuperuenerit, atque inteſtatus [f] de medio ſublatus ſit: tùm ſi qui, ad quos hæreditas pertinet, ſiue aſcendentes, ſiue deſcendentes ſuperſint, ad hos illa ſe conferet: ſi verò nulli ſint ad quos bonorum defuncti captiui ſucceſſio ſpectet (dico quos neque aſcendentes, neque deſcendentes defuncti familia agnoſcit) primùm conſiderari an aliquibus debeat, deindéque deducto ære alieno reliqua bifariam in trientem & beſſem diuidi, ac trientem demum in erogationem pro anima faciendam ſeparari, alteram autem partem in fiſcum recipi iubemus: tamen vt ſerui his non immiſceantur. Hos enim, niſi æs alienum exolui non poſſit, omnes libertate honorari volumus. Quæ eadem rerum diſponendarum forma cuſtodienda erit, quandò nihil æris alieni fuerit, ſeruitutique obnoxius (quemadmodum dictum eſt) ſine hæredibus deceſſerit. Quæ itaque nobis eius legislationis, quæ captiuos contriſtabat, in mentem correctio venit, per ſacram hanc expoſita eſt legem. Tua autem magnificentia ſanctionem ſubditis notam facito: quò quum innotuerit, omnes de rebus ſuis, etiam quos captiuitas detinet, quocunque modo velint ſtatuant.

[d] *l. Vlt. verſ. in illis verò locis C. de teſtam.*

[e] Imò milites cōuocatis ad hoc hominibus teſtari debent §. 1. *verſ. ſi ergo miles Inſti. de militari teſtamēto*: *l.* 24. ff. *de teſtam. milit.*

[f] puto innui legem 15. *inf. C. de teſtam. milit.* vult enim valere militis volūtatē, ſi quid in vagina aut clypeo literis ſanguine ſuo rutilantibus, adnotauerit, aut in puluere inſcripſerit gladio, ſub ipſo tempore quo in prę lio vitæ ſortem derelinquit.

[g] Afflicti ſubleuand ſunt, non onerādi *Nou.* 26. §. *eo.*

[a] Durum videtur captiuis adimi teſtandi poteſtatem, ne alioquin ad eorum inimicos eorum bona deferātur.

[b] Captiui teſtamentū facere debent teſtibus præſentibus.

[c] Captiui teſtamentū facere poſſunt ſcripto vel verbis.

[d] Captiui teſtari poſſunt, ſiue liberos habuerint, ſiue non habuerint.

[e] κατὰ τὸν πρέποντα *Scrimg.* κατὰ τὸ πρέπον *Cuiac.* 7. *obſ.* 32.

[f] Ad quos hęreditas inteſtati captiui pertineat.

## *VT IN CIVITATIBVS QVINQVE[a], in itineribus verò & agris tres teſtes ad teſtamentorum fidem ſufficiant †.

### CONSTITVTIO XLI.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVVM omnibus humanis vitæ negotijs, quæ teſtium fidem requirunt, inde robur adeſſe oporteat: tum vero maximè quæ vltimi vitæ noſtræ diei contemplatione diſpoſitiones fiunt, iſtiuſmodi corroboratione indigent. Nullus enim reliquus modus eſt, qui rectè ipſis ius dictet, niſi ipſis à teſtibus præſidium adſit. Oportebat itaque, quo magis neceſſe eſt ſtatuta hominum è vita decedẽtium firma eſſe, eo quoque magis eadem per teſtimonia ſtabiliri. Verùm quoniã frequenter res propter eorum quæ ſtrictiùs requiruntur penuriam, ad poſſibilem modum deduci videmus (quum nanque ſtricto iure vti non datur, quenq; quó modo poteſt vti neceſſitas eſt) de teſtium numero, quot teſtamentis adeſſe debeant, ſtatuere non alienum à prouidentia nobis viſum eſt. Atque hòc quidem etiam ſempiternæ memoriæ patri noſtro in mentem venit: verùm quod ſtatuit, non valdè id exactè ſtatutum eſſe iudicatum eſt. Quum enim ſuperiorum legislatorum alius[b] ſeptem, alius[c] verò quinque aſſumendos eſſe teſtes cenſuiſſet (ſeptem quidem in ciuitatibus: quippe vbi propter hominum multitudinem, vt conſentaneum eſt, teſtes defuturi non ſunt: in agris verò & itineribus, quinque, quod magna illic plerunque hominum fide dignorũ raritas ſit) quum hoc (inquam) ita de illis conſtitutum eſſet, pater noſter[d] exuperantem numerum deſpiciens, ſimul in ciuitatibus, ſimul in agris & itineribus per quinque teſtes teſtamentis vigorem attribuit: idq; ideo (mea quidem ſententia) quòd quanta nunc virtutis inopia humanam vitam occupet, conſiderarit. Attamen (id quod dictum eſt) non admodum exacta ratione placitum illud nititur. Dicat enim fortaſſe aliquis, æqualem numerum attribui non oportuiſſe, atque teſtimonium quod in agris & itineribus adhibetur, arctius contrahendum fuiſſe. Nos igitur quod ille neglexit, non negligendum putãtes, ſancimus, *Vt in ciuitatibus*, quinque teſtibus ſtabilitum teſtamentum approbetur: in itineribus verò & agris, aliiſque inhabitatis locis, trium teſtium confirmatio ſuſcipiatur.

## VT SVFFICIENS NVMERVS TEſtium teſtamentum ratum faciat, tametſi † id neque illorum ſubſcriptiones neque ſignacula habeat.

### CONSTITVTIO XLII.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVÆ in verbis reſidet obſcuritas, multum quod tractatur inuoluere videtur: quippe quæ, tanquam expanſa quædam nubes, tum intelligendi vim animo auferat, tùm à recta rerum adminiſtratione auertat. Hanc igitur obſcuritatis caliginem vbi illis conſtitutionibus quæ de teſtamentis agunt, neque mediocrem noxam rebus adferũt, circumfuſam eſſe cognouimus: pulchrum fore rati ſumus, ſi illas repurgaremus, quomodóque teſtamẽta confirmari, aut non oporteat, lege non ambigua, neque quæ variè apprehendi poſſit, definiremus. Qui ante nos de teſtamẽtis tractarunt bifariam illa diuiſerunt, & alia quidẽ ſcriptis, alia verò ſine ſcriptis cõfici tradiderũt. Quin & modum quo vtrunque teſtamentum (& ſcriptum nempe, & non ſcriptum) ratum fiat ſubiecerunt: vt ſcripta confirmatio in eo conſiſtat, quòd viuente etiamnum teſtatore teſtium ſubſcriptione obſignationéque omnibus numeris abſolutum ſit: nuncupatiui verò, ſiue non ſcripti, quod ſeptem non indigni fide teſtes ſe audiuiſſe, cum ita teſtator lingua ſua de rebus ſuis pronuntiaret, conſiteãtur. Atq; his hunc ad modũ conſtitutis, annectũt, ſcriptum teſtamentũ, niſi[a] ad ſcripturæ qua teſtatoris volũtas ſignificatur, perfectionem ſimul omnia conueniant, & teſtium ſubſcriptiones, nempe quæ illis de ſynceritate teſtimonio ſint, & ſignacula, quæ ſubſcriptionibus fidem præbeant: niſi hæc ſimul omnia (inquam) priuſquam is cuius id teſtamentum eſt, è vita excedat, concurrant, omnino id irritum eſſe, vt neque tanquam ſcriptum, neque tanquam nuncupatiuum valeat. Ex quo ſanè præoccupatiuo placito, quum non admodum cautè (ne interim dicam malè) conceptum ſit, confuſio atque ambiguitas rem teſtamentariam inuadit. Alijs enim videtur teſtamentum velut adulterina ſemina, prorſus abijciendum: vt alijs quidem ex bonis vtilitatem capere permittatur, defunctis verò ne minimum quidem vtilitatis ex rebus ſuis accedat: ſi tamen defuncti vtilitatem aliquam ſentiunt. Sentiunt autem, quum ex ipſorum morte per beneficij erogationem nonnulli reuiuiſcunt. Atque hi quidem (quo modo dixi) hunc in modum à rerum ſuarum vtilitate hominem prorſus arcere volunt. Quibus vero benignior ſententia animo reſidet, hi teſtamento, quod ſigillorum impreſſione perfectionem non accepit, ſi non vt ſcriptum cenſeatur, certè tamen qualẽ non ſcriptum & nuncupatiuum accipit, talem vigorem tribuunt. Nos itaque perplexitatem hanc adeò rebus humanis eſſe nocumento videntes, in benigniorum iudicum ſententiam pedibus imus, veteríſque legis caliginem & ambiguitatem in ſimplicem atque apertam cognitionem conuertimus, ac ſancimus, *Vt*[b] *quod teſtamentum*, reſpectu eorum quæ ſcripto teſtamento adeſſe debent, imperfectũm eſt: ſi tamen nũcupatiui teſtamenti teſtimonio non indigeat, vigore nuncupatiui teſtamenti firmũ ſit: ſin teſtium fide indigeat, vt quod nihil ad faciendam fidem idoneum habeat, in irritum concidat. Quæ enim ratio eſt, imò quomodo non omnino abſurdum nimíſq; craſſum eſt, aliàs teſtes iſtiuſmodi approbatione dignari, vt quæ nulla ſui parte ſcripto mandata ſunt confirment? aliàs verò quaſi qui per ſcripturam declarata confirment, indigni ſint, ita illos vilipendere? præſertim verò, quum hic aliquo etiam modo fides corroboretur. Quomodo inſuper id deteſtandam inuerecundámque æquitatis proditionem non continet? Quid ſi teſtamentum ſcripto tradi cœperit, quódque conſtitutum eſt, dignorum fide teſtium auribus inſonuerit, deinde verò aut ſcribam morbus corripuerit, aut mors etiam ipſum ſuſtulerit, & mox teſtator quoque enectus ſit: (vt multa hominibus ex improuiſo contingunt) num propterea quos is moriens beneficio dignos cenſuit, illi eo priuati iniuriã ſuſtinebunt? Et verò, quod indigniſſimum eſt, non modò non cum vita id mali teſtatorem deſerit, verumetiam mortuum inſectatur, priuátque (quantum quidem ad eorum qui teſtamentum irritum faciunt ſententiam attinet) miſericordis Dei commiſeratione, cuius participem illum fore, ex eo quòd ipſo defuncto alij beneficijs ſubleuentur, ſpes eſt. Idcirco ſimulatque noſtra poteſtas hæc animaduertit, euidentem atque indubitatam formam ſancijt, *Vt*[c] *ſi teſtes tantum* dicant illius hominis proprium id eſſe teſtamentum, id non improbetur, ſed firmum atque ratum ſit: tametſi non ſolùm ſignacula, ſed etiam cum illis teſtium ſubſcriptiones deſint.

*Quinque in vrbano: tres in ruſtico teſtamento teſtes ſufficiũt ex hac Nouella. Quinarius numerus lege XII. tabularũ videtur introductus §.1. *Inſtit. de teſtament. ordinãdi*. 20. *Vlpian*. 2: & reductus à Baſilio Macedone patre Leonis noſtri *Verſic. quum enim* j. *eod*. Septem poſt ea adhibiti ex conſtitutionibus §.3. *Inſtit. de teſtament. ordinã*. Speciàliùs dicendum eſt. In militari teſtamento expeditionis tẽpore *l*.17. *C. de teſtament*. (miles enim citra tempus expeditionis domi teſtat' ſeptem teſtes adhibet *arg. d.l*.17.) teſtes requiruntur ad minimum duo *l*.24. *l*.40 ff. *de teſtam. milit*: §.1. *Inſtit. de milit. teſtam*. vel vt *ibid*. ſcribit Theophilus, vnus ſufficit: & ſi Leoni credimus *Nouella quadrageſima in princip*. s. *eodem*. nullis teſtibus adhibitis miles teſtari potuit, quamuis Plutarchus *in Coriolano*, ſcribat, in teſtamento procincto tres aut quatuor adhibitos. & hæc de militari teſtamento. In pagani verò teſtamento variatur numerus. In cæci teſtamento vel octo requiruntur: vel ſeptem teſtes & vnus tabularius *l*. 8. *Cod. qui teſtament. f*. In reliquis, ſeptem: ſi teſtamentum in ſcriptis fiat §.3. *Inſtit. de teſtament. ordinan*. Quid ſi nuncupatiuum fiat teſtamentum? ruri ſufficiunt quinque teſtes *l. Vlt. C. de teſtament*: vt & in codicillis *l. Vlt. ff. de codicillis*: *l*.28. *in f*. ff. *de teſtamentis*. In vrbe ſeptem requiruntur, ſi extranei inſtituantur hæredes *l*.21. §.2. *Cod. de teſtament*. ſin filij, duo ſufficiunt *d.l* 21. §.1. ſi liberis mixti extranei, quod ad extraneos ſeptem requiruntur: quod ad liberos, duo ſufficiunt *d*.§. 1. Hoc addendum eſt, vnicum teſtem ſufficere, ſi teſtamentum fiat coram principe *l*.19. *in prin. Cod. de teſtamen*. Sed & illud tenendum, Iure canonico valere teſtamentum factum coram presbytero & duobus teſtibus *c. cùm eſſes*. 10. *de teſtamen*. ſed & eodem iure vltimam voluntatem ad pias cauſas valere coram duobus teſtibus *c. relatum* 11. *de teſtamentis*. Ad hæc, iure ciuili plures quàm ſeptem adhibitos non nocere. Superflua enim proſunt, nunquam nocent *Paul*. 3. *ſent*. 4. §. 10. Quin, ſufficere ad bonorum poſſeſſiones omnibus locis petendas, vt ſolemnis teſtium numerus adhibitus fuerit, quo loco teſtamentum factum eſſe dicetur *l. Vlt. Cod. de teſtam*. Idque communiter obſeruari refert Ferrarienſis in formula libelli quo petitur hæreditas ex teſtamento 48. in verbo Vallatum 6. *num*. 4. † atque ita mutatur numerus teſtium Iuſtinianeo iure requiſitus *Inſtit. de teſtament. ordinand. & Cod. de teſtam. ordinand*. [b] Iuſtinianus ſcilicet *l. Vlt. Cod. de teſtamentis*. [c] Ius vetus intelligit, *de quo V*. §. 1. §. 2. §. 3. *Inſtit. de teſtament*. [d] Baſilius Macedo. † hoc innuit, ſubſcriptiones & ſignacula teſtium non requiri: quod olim requirebatur. & ita hæc conſtitutio abrogat §.3. *Inſtit. de teſtam. ordinand. & ſimiles*.

[a] *d*.§.3.

[b] ſenſus eſt à Leone nihil hic eorum immutari, quæ vel de ſcripto, vel nuncupatiuo teſtamento cauta ſunt

[c] & ita ius vetus abrogatur, quo ſubſcriptiones teſtium eorúmque ſignacula requirebantur

VT

† olim conſtitutum, vt litterati teſtes pro illiteratis ſubſcriptionem interponerent *l. vlt. verſ. ſin autẽ ibi, aut duo vel plures illiterati C. de teſtam.* quod hac Nouella abrogatur.

a titulus ita formatus eſt apud Græcos περὶ τ͂ κυρῶσαι διὰ ἰδιογράφων τὰς διαθήκας, ϗ περὶ τ͂ εἰ χρὴ τρεῖς τυγχάνοιεν μάρτυρες *Scrimg.*

b *§. 2. Inſtit. de teſtam. ordin.*

c *d. verſic. ſin autem.*

† abrogatur *d. verſ. ſin autem.*

## VT PER SCRIBENDI IGNAROS† teſtamenta etiam confirmentur.[a]

### CONSTITVTIO XLIII.

Idem Imperator eidem Styliano.

NON quòd ſuperiores, quia communis vitæ negotijs diligẽtem cautionem attulerunt, reprehendere velimus, legem proferimus: ſed potius, vt exacta ipſorum ratio in vſum recipiatur operam damus, reſque ipſæ (quod illas exactò ipſorum præſcripto reſpondere impoſſibile ſit) ne, quoad eius fieri poteſt, debito ſuo ſtatu excidant, ſanctione cauemus. At quid eſt quod dico? Decretum eſt à veteribus de teſtamentis tractantibus, vt per[b] ſeptem teſtes, minimum autem per quinque, defunctorum ſtatutis authoritas accedat. Neque verò id ſimpliciter, ſed ne[c] ignari literarum teſtes eſſent, ſi quidem in ciuitatibus, vbi non ferè peritorum penuria eſt, teſtamenta facta ſint: ſed ſi alijs in locis in quibus litterarum ſtudia diſciplinæque non admodum vſitatæ ſunt, illic teſtium non exactè haberetur ratio: neque illi ſoli qui ad literarum ſtudium educati ſunt, quærerentur, ſed ad teſtandum & literarum rudibus aditus eſſet. Quod itaq; illis in locis in quib. hominum ſcribendi peritorum abundantia non eſt lex fieri ſtatuit, id conſuetudo omnibus vbique locis & ciuitatibus, quanquam magna doctorum hominum copia eſſet, ita facere volentibus conceſſit. Quod ſanè & Imperatoriæ noſtræ Maieſtati legum authoritate dignandum eſſe placuit. Sancimus igitur *vt quocumque* in loco & ciuitate, etiam † ab imperitis teſtamenta confirmentur, dummodo mores teſtium fidem mereantur. Quin & numerum non ſolum ad quinque contrahimus, ſed ijs in locis in quibus raros fide dignos prodire conſtat, tres quoque admitti, ac teſtimonium illorum non reprobari volumus.

† olim à magiſtro cenſus *l. 23. C. de teſt.* hodie à Queſtore. & ita pars *d. l. 23.* abrogatur.

d *Nou. 44. c. 1. §. 4. l. 17. §. 2. C. de ſacroſ. eccleſ. l. 23. C. de teſtam.*

e ὅς νῦν τ͂ γενικῦ προσηγορίαν ἀποφέρεται.

f apud magiſtrum cenſus inſinuari teſtamenta mos erat *d. l. 23.* hodie à Queſtore.

## A QVIBVS† OBSIGNARI TESTAmenta oporteat.

### CONSTITVTIO XLIIII.

Idem Imperator eidem Styliano.

CVM omnes alij hominum actus ac negotia quæ in literas referuntur, neceſſariò exquiſitum teſtimonij ſubſidium requirãt: tum maximè id faciunt, quæ homines natura ſua ad interitum vergente, diſceſſuque è carne imminente, literis exponunt, his in ipſo è vita exceſſu rationes ſuas & voluntatem committentes. Quæ enim inter viuos conſcripta ſunt, quanquam obſignata ſint, nihilominus tamen illorum vitia ex verborum eius qui ſcripſit, eorumque de quibus ſcriptum confectum eſt, examinatione deprehenduntur. Quæ verò à morientibus ſcripto conſtituuntur, ea ſe minus rectè habere, ſi nullum certum teſtium ſuffragium adſit, impoſſibile diſcere eſt. Verum enimuerò & hic tractatus longè optimè à legiſlatore conſcriptus eſt, dum ſæpe teſtamentorum teſtes ad iuſiurandum adigi nolens, illis cenſus[d] magiſtri qui nunc generalis[e] appellatur, ſigillo parari firmitatem iubet. Etenim quod tanquam leuem promptumque ad iurandum aditum non præbet, inſignique ſigillo ambiguis teſtamentis vigorem tribuendo, vt iuramenta reprimerentur, fecit: ea ſanè res & prudentiſſimi conſilij & præſtantiſſima eſt. Atque hoc quidem obtinuit olim. Poſt modum autẽ conſuetudo id mutauit, vt ſupra teſtes, eius qui ad quæſtoris dignitatem perueniſſet, ſigillum teſtamento teſtimonium ferret. Et quidem illa etiam confirmatio maioribus noſtris optima viſa eſt. Quos & nos ſequentes, quo illa validior ſit, iubemus, *vt ſigillo* magiſtri cenſus (quod nunc ad illum neque legum cura neque adminiſtratio pertineat) nihil prorſus in obſignatione teſtamentorum iuris nec commercij ſit (quemadmodum neque nunc id illa obſignat) ſed pro[f] illo quæſtoris ſigillum obſignet. Neque verò hoc ſolùm teſtamẽta obſignet: verumetiam magnificentiſſ. noſtri magiſtri & patricij, præfecti vrbis etiam, aliíque qui iudicijs præſunt, ſigillis ſuis illa fidei commendẽt. Verùm hi in vrbe: in alijs autem locis & ciuitatibus præfecti, & in quaque prouincia præſides hoc ſciunto & faciunto.

## *VT SENTENTIAM IVDICES IN literas referant, ſuaque † manu obſignent.

† poterant olim manu aliena *l. vlt. C. de ſententijs ex periculo recitandis*: cui hoc additur à Leone.

### CONSTITVTIO XLV.

Idem Imperator eidem Styliano.

DVM vt res iudicatæ firmæ maneant, & nequa ſuſpicio atque controuerſia ſentẽtias inſequatur, curam gerimus, hoc ſe nobis conſtituendum obtulit, *vt quibuſcumque* dijudicare ac dirimere lites obtigiſſet, de quibus rebus iudicium pronũtiaturi eſſent, de ijs ſententiam de ſcripto ferrent, eamq; manibus ſuis † obſignarent: vt ne, ſi temere iudicatum eſſe poſtmodum deprehendatur, negare illi ſuam ſententiam poſſint: neq; alij cuipiã ſuppoſititia adulterináque ſententiæ ſcriptura efficta, illam in iudicum aliquem referre liceat. Quicumque igitur iudicum dignitate honoratus eſt, dehinc ita facito: ac quibus de rebus iudicauit, decretum ſcriptum, ſuáque manu obſignatum edito.

† & ita ſupplet *d. l. vlt.*

## ABROGATIO† QVARVNDAM DE curijs & decurionibus[a] latarum legum.

† hac Nouella tolluntur ordines decurionum. ideò que hic titulus non eſt in Baſilicis *vide Cuiac. ad tit. C. de decurionibus.*

a *50. ff. 2: 10. C. 31. Nou. 38.*

### CONSTITVTIO XLVI.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVEMADMODVM vt quæcunque aliæ res in communis vitæ vſum aſſumantur, ipſarum comoditas facit, & quæ vtilitatem aliquam adferunt, magni facimus: quæ verò ad nihil conducunt, contemnimus: ſic omnino & ad legalium capitum compoſitionem nos accommodari oportebit, vt quarum vſus aliquis ſit, qui bono quopiã rempublicam beet, hæ neceſſariò & ferantur & honorentur: quarum vero vſurpatio aut nullius momenti, aut mala ſit, harum non modò nõ ratio habeatur, ſed etiam è legum corpore exemptæ reijciantur. Hæc idcirco dicimus, quod inter veteres de decurionib. & curijs latas leges, quædam grauia intolerabiliaque decurionibus quæpiam munera iniunxerint: curijs autem priuilegium, vt quoſdam magiſtratus conſtituerent, ſuaque authoritate ciuitates gubernarent, præbuerint. Quæ nunc, eo quòd res ciuiles in alium ſtatum transformatę ſint, omniaque ab vna Imperatoriæ Maieſtatis ſolicitudine atque adminiſtratione pendeant, tanquam incaſſum circa legale ſolum oberrent, noſtro decreto illinc ſubmouentur.

## *ABROGATIO† LEGIS QVÆ SENAtui prætores, decurionibus verò præfectos conſtituere concedebat.

† abrogatur lex 2. *C. de off. prætor.*

### CONSTITV. XLVII.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVOD alius olim reipublicæ ſtatus eſſet, rerum ordo ſimiliter alius erat. Quum enim cuncta in Principis deliberationem non caderent, ſed nonnulla eſſent de quibus diſpicere & iubere ſenatus officium eſſet, ea ab illo etiam proferebantur. Prætores itaque tres[b] numero in vrbe rebus adminiſtrandis ab eo præficiebantur, iſque actus ſanctione legis procedebat. Neque verò id in vrbe ſolùm, ſed in alijs etiam ciuitatibus à decurionibus[c] vt vocabãtur, præfecti quidam (non tamen quales hodie militaris præfectura nouit, ſed excellentiores quidam, quique aliam curam demandatam haberent) præficiebãtur. Quum igitur aliter ſeſe tunc res haberent, communis vſus illam legem requirebat. Nunc autem quum omnia à Principali cura pendeant, Deoque opitulante ipſius prouidentia diſcutiantur & dijudicentur: ac verò illa lex nullum de ſe vſum præbeat, cum alijs quæ de republica eiectæ ſunt, hanc etiam eijciendam eſſe ſtatuimus. Quemadmodum enim legibus nondum enatis naſcendi cauſam rerum vſus[d] præſtat: ſic quando lex rerum vtilitati nõ ſubſeruit, eam abolendam eſſe ſequitur.

b *d. l. 2.*

c Nam quod Conſtantinopoli atq; Romæ Senatores, hoc decuriones fuerũt municipijs.

d Leges vſu exigẽte promulgantur, vſu cõtrario tolluntur.

## NE MVLIERES IN CONTRACTIbus † teſtimonium prębeant.

*CONSTITVTIO XLVIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

HAVD ſcio quomodo, re non exactiore iudicio diſquiſita, mulieribus ad dicendum teſtimonium procedendi facultatem dederint veteres [a]. Illud ſaltem vulgo notum, volutādum animo fuerat, crebrum nempe in virorum oculos occurſum [b] mulieri dehoneſtamento eſſe: pudicam verò & honeſtam eiuſdem rei fugam efficere. Qua ratione igitur illas ad teſtimonium aſſumi permiſerint, (vnde fit perſępe, vt in magnis hominum turbis conuerſentur, irreuerentiúſque quàm mulierum ſermo ferat, lingua vtātur) hoc, quemadmodum dixi, mihi dubitare ſubijt. Quorſum enim hiſce viſum eſt, vt in [c] negotia publica mulierū prodiret teſtimonium, quibus iuxta atque viris teſtari permiſerunt, quemadmodum Scythicas [d] mulieres cum maritis ad bella coarmari audimus? Et ſanè quomodo, pręter abſurditatem ingentem, hoc naturæ etiam finium, quibus virilis muliebríſque ſexus diſterminati ſunt, tum confuſionem, tum euerſionem non continet? Quomodo item mulieribus (quas etiam domi obſeruanter, nequaquam autem diſſolutè atque indulgenter conueniri oportet) debitam non produnt & verecundiam & honeſtatem? Si quidem ad ferendum teſtimonium progreſſio, quum (eo quod multorum illæ hominum commiſcentur conuentibus, negotiíſque implicantur virilibus) ad liberiùs loquendum quàm mulieribus decorum ſit, feneſtram aperiat: muliebris ſexus ſubmiſſos morem pudorémque adimit, atque ipſas ad verecundiam & procacitatem exercet. Iam verò res illa contumeliā aliquo modo etiam viris adfert. Quid enim hoc aliud niſi contumelia, & ea quidem grauiſſima erit, ſi, quarū rerum tractatio virorum maximè propria eſt, ad illas ſexus etiam fœmineus procedet? Quapropter non minùs conſuetudinem, quàm legis erratum Maieſtas noſtra corrigens, *illis ad* teſtandum præcluſit aditum, ac propoſita ſententia ſua decernit, legéque prohibet, ne quo modo mulieres ad contractuum teſtimonia accedant. In rebus autem peculiariter ad ipſas pertinentibus, quibus intereſſe viris fas non eſt (de partu [f] loquor, & ſi cui rei [g] alij ſola mulier adhibetur) ſua peculiaria viríſque occulta teſtantor.

† Gellius 6. *capite* 7. ſcribit, nulli fœminæ dicendi teſtimonij ius fuiſſe. & Cōſtātinus *lege prima, Codice Theodoſ. de rapt. virgin.* mulieres remouet à poſtulationibus & teſtimonijs, omnibúſque rebus iudiciarijs vt antique penitus remouebantur. Harmenopulus 1. *tt.* 6. refert mulieres admitti in teſtimonium ἔνθα ἡ τῶν ἀνδρῶν βία ἀπείρηται, & poſt capite περὶ κεκωλυμένων negat mulieres in teſtamentis admitti, vt & in alijs negotijs: ijs exceptis, ἐν οἷς ἄνδρες οὐ προσκαλοῦνται. Idem paulo pòſt negat mulierem admitti, ἐν ταῖς συστατικαῖς μαρτυρίαις: admitti verò ait: ἐν ταῖς ἀποδεικτικαῖς appellat autem συστατικὰς, διαθηκῶν, κωδικέλλων, δωρεᾶν αἰτίᾳ θανάτου. ἀποδεικτικὰς, τὰς λοιπὰς, id eſt iudicia, *Vide legem decimā octauam* ff. *de teſtibus: lege vigeſima* §. *ſexto* ff. *qui teſtamenta.*

## NE SERVI AD DICENDVM TESTImonium admittantur. †

*CONSTIT. XLIX.*

Idem Imperator eidem Styliano.

TESTIMONIVM quum magni momenti, neceſſariáque ad tuenda communis vitæ negotia res ſit, non à quibuslibet, ſed ab ijs qui extra ignominiam viuunt, ferri æquum eſt. Recte ergo exquiſita ratione de hoc diſceptant leges, & non ſimpliciter ad dicendum teſtimoniū cuique aditum præbent. Veruntamen, quia nonnullæ leges ſeruilis conditionis hominibus in quibuſdam [h] rebus teſtari conceſſerunt: viſum nobis eſt, hoc nota inducendum eſſe: *vt* qui liberæ vitæ participes non ſunt, in vniuerſum ad teſtandum non admittantur, léxque Nouellarum [i] conſtitutionum obtineat, & de quocunque ſimpliciter teſtimonio ſtatuat, ídque in quacumque re, ſiue teſtamenta, ſiue aliam humanæ vitæ actionem teſtimonium complectatur. Si enim illis qui, quum liberæ vitæ ſint, vitam ingenuè, eáque libertate quam nacti ſunt dignè non degunt, neque quantum fieri poteſt animi magnitudinem à ſeruitute liberam conſeruāt, ſed in illicitarū actionum ſeruitutem ſubiguntur, teſtimonium dicere non licet: neque his quorum vitam non eſſe liberam conſtat, ferre teſtimonium concedetur. Nam tametſi alius hic ſeruitutis modus ſit, attamen ea ſeruitus eſt, quam libertatis dignitate participem eſſe indignum ſit.

[a] *dicta lege decimaoctaua: dicto* §. *ſexto.* [b] Mulieri dehoneſtamentum, frequenter viris occurrere. [c] *εἰς πράγματα Scrimger* [d] Mulieres Scythicæ cum maritis ad bellum coarmari ſolitæ. [e] In quibus negotijs mulieris teſtimonium admittatur. [f] *Vide titulum de ventre inſpiciendo.* [g] puta balneo muliebri 1. *Harmenopul.* 13. admittitur etiam in quæſtionibus maieſtatis *lege octaua* ff. *ad legem Iuliam maieſtatis*: & ad domeſticum teſtimonium *lege octaua* §. *ſexto, Codice de repud. adde quæ dixi ad Nouellam* 90. *& ad epigraphen huius tituli.* † *Nouella Iuſtiniani* 90. *capite ſexto*, omnino. & ita abrogatur lex 7. ff. *de teſtibus.* [h] in ijs ſcilicet in quibus alia probatio ad eruendam veritatem non eſt, *lege ſeptima*, ff. *de teſtibus.* [i] Nouella ſcilicet Iuſtiniani 90. *capite ſexto.*

## VT † DONATIONES QVÆ IN LITEras relatæ non ſunt, ad quingentos vſque aureos valeant.

*CONSTITVTIO L.*

Idem Imperator eidem Styliano.

QVANDOQVIDEM multi alias gratias relaturi, alias benigno duntaxat propoſito moti, dona in nonnullos conferunt: & de hoc capite diſtinctè tradendum eſſe viſum eſt, quales donationes non euerti, qualéſque contrà irritas eſſe oporteat. Atque veteres quidem hac de re tractantes, pronuntiarunt, illam donationem concidere, ne firma ſit quæ quingentorum aureorum ſummam exuperat, niſi in acta publica relata ſit: quanquam etiam donatarius donationis certam probationem propria donatoris manu priuatim ſcriptam abſtulerit. At neſcio quid ſibi illi ſuperflua hac ſubtilitate velint. Quando enim donatio ſcripto comprehenſa, eíque iuſtum teſtimonium adhibitum eſſet, quorſum amplius accuratè finire oportebat? Nobis itaque, exacta hac definitione, quam neque de donationibus dictam [a] eſſe omnino ſcimus, per ſanctionem conſopita, illud proponere viſum eſt, *vt* [b] *ſi* donatio quæ quingētos aureos aureos excedit, in literas relata ſit, rata permaneat: quæ verò ſcripto comprehenſa non eſt, pro eo modo qui quingentos aureos excedit, irrita ſit: tametſi donatarius præſentibus teſtibus rem donatam adeptus ſit. Etenim donatio, cuius æſtimatio quingentos aureos non ſuperat, etſi conſcripta non ſit, dummodo tribus teſtibus confirmetur, rata iudicatur. Ad hanc ergo formā examinatæ donationes, aut valeant, aut irritæ ſint.

† Titulus aliter à Græcis accipitur his verbis, περὶ τοῦ τὰς δωρεὰς τὰς μέχρι φ. νομισμάτων οὔσας ἐγγράφως γίνεσθαι. *Scrimg.* Mihi ſic videtur hac Nouella non requiri inſinuationē in donatione 500. aureos excedēte (vt ita abrogetur lex 24. lex 36. *in fine Codice de donationibus* §. *ſecundo Inſt. de donationibus*) etiamſi in ea requiratur ſcriptura.

[a] ῥηθεῖσαν *Scrim.* τηρηθεῖσαν *Cuiacius* 17. *obſeruatione trigeſimaſecunda.*

[b] Græci aliter legunt his verbis, ἵνα δωρεὰ ἡ χρυσίων ὑπερέχουσα πεντακοσίων, ἄγραφος μὲν οὖσα ἀναθέτητος διαμένῃ. ἐγγράφου δὲ συστάσεως ἐρήμη γνωριζομένη, ἀβέβαιος ᾖ, κατὰ τὸ ὑπερβαῖνον μέτρον τῶν πεντακοσίων. N. &c. *Scrimg.* vt hinc colligamus locum eſſe corruptum.

## DE INVENTO THESAVRO cuius eſſe debeat †.

*CONSTITVTIO LI.*

† De theſauro hoc breuiter adnoto. Theſaurum non eſſe, quod quiuis vel lucri, vel metus, vel cuſtodiæ cauſa ſub terra condidit *lege* 31. §. 1. ff. *de acquirendo rerum*: quod quis perdidit, aut per errorem è ſuo fundo non abſtulit, *lege ſexageſimaſeptima, in fine* ff. *de rei vindicat.* Theſaurus, eſt vetus quædam depoſitio rei mobilis *lege vnic. Codice de theſaur.* ſeu pecunia cuius non extat memoria, vt ea iam dominum non habeat, *dicta lege trigeſimaprima*, eiúſque dominus ſit ignotus *dicta lege vnica.* De inuento hoc tenendum eſt, Eum qui theſaurum in ſuo caſu inuenerit, omnimodo ſuum facere, *verſ. quæ quidem lex* j. ídque & naturali æquitate & D. Hadriani conſtitutione § 39. *Inſtit. de rerum diuiſ.* Non idem in eo qui ſceleratis ac puniendis ſacrificijs repererit *dicta lege vnica.* nam & theſaurum inuentum amittit, & eo amplius puniri poteſt *argum. leg. decimatertia* ff. *de ſicarijs.* Eadem penè in eo qui in priuati fundo & alieno, data opera, non volente, inuitóve domino theſaurum perſcrutatur, aut certè principis permiſſu: quippe inuentor fundi domino theſaurum reddere cogitur, *dicta lege vnica.* Quid ſi non ſtudio ſed caſu, puta ab aratore vel colono *dicta lege vnica in fine*, vel fabris ad domus refectionem adhibitis, *lege ſexageſimaſeptima* ff. *de rei vindicatione*, theſaurus ſit repertus? diuidetur inter fundi dominum & inuentorem *verſic. iubemus* j. *eodem: dicta lege vnica: dicto* §. *trigeſimonono.* Quid ſi in loco ſacro vel religioſo ſit repertus? Hadrianus totum conceſſit inuentori *dicto* §. *trigeſimonono.* Diui verò fratres dimidium fiſco dederunt *lege* 3. §. 3 ff. *de iure fiſci.* Iam hîc turba opinionum naſcitur. Accurſius dictum §. trigeſimumnonū. refert ad æquitatem: dictam legem 3. ad ius ſtrictum. Angelo dicta lex tertia diſplicet, fiſci loco eccleſiam ſuſtituenti. Zoanetus in dicta lege tertia legit, *non etiam religioſis*, quo nomine reprehenditur à Roberto 1. *recept.* 5. Cuiacius 5. *obſ.* 5. refert dictam legem tertiam ad locum religioſum, qui ſit publicus. *dicto* §. *trigeſimonono.* ad religioſum qui ſit nullius. Fornerius 2. *ſelection.* 26. dictum §. 39. emendat, legitque *ac ſi quis* pro *at ſi quis*, eo ſenſu, Ei qui theſaurum in loco religioſo inuenerit dimidium cedere ac ſi in alieno reperijſſet. ſic

Idem

ſentio, Iuſtinianum repudiata Diuorũ fratrum ſententia, D. Hadriani conſtitutionẽ amplecti. Quid ſi in Cæſaris, fiſci, vel publico, vel ciuitatis loco ſit repertus? Inuẽtor, theſaurum cum fiſco ac ciuitate diuidet ex cõſtitutione Hadriani *d.§.39.*

Idem Imperator eidem Styliano.

BONVM ſanè atque ſalutare eſſet, ſi diuinis ſalutiferiſque morem gereremus legibus. minimè enim tum humanis indigeremus: illarumq; luce tutam viam commonſtrante, humano ex legibus auxilio nobis non eſſet opus. Verùm quoniam cœno atque luto omnes emergere, diuiniſque præceptis in cœlum tollentibus eleuari difficile eſt: humano generi ſalutem etiam humana prudentia per leges ſuas adinuenit. Quapropter etiam nunc, quum, quamquàm Dominus & Seruator noſter miſericordes eſſe, eorumq; qui inopia premuntur, illos qui ipſius donis fruentes in affluenti rerum copia viuunt, anguſtijs ſucurrere iuſſerit, nonnulli tamen ita in Dominum ingrati, ergaque communem hominum cognationem commiſerationis expertes ſint, vt non modo non benignam manum egentib. præbeant: verumetiam, tanquam ſolis quoque radijs tetricos theſauros ſuos aſpicere inuideant, in terram illos defodiant: de inhumano hoc inuento in medium legem prodire oportuit. Quæ quidem *lex* quum olim lata fuerit, victa autem poſtmodum à cupiditate, quę multas egregias res labefactat, ab eademq; ſuo vigore priuata ſit: nunc ab Imperatoria noſtra Maieſtate in integrum reſtituitur. iubebat autem illa [a], vt qui in defoſſum theſaurum incidiſſet, ſi prædium in quo inuentus eſſet, ad Principem [b] pertineret, alioquive publicum eſſet. illum ex æquo cum fiſco partiretur: ſi verò locus vnde theſaurus in lucem prodijſſet, neque ad Principem pertineret, neque publicus, ſed alterius cuiuſpiam eſſet, is æqualibus partibus inter inuentorem prædijque dominum diuideretur: denique, ſi inuentoris prædium eſſet, ipſi res inuenta vniuerſa cederet. Atque hæc quidem lex illa ſancijt. Verum [c] peruerſa cupiditas, haud ſcio quomodo illa circumſcripta, iniquoque lucro fiſco donato, illi in hunc vſque diem inuentum theſaurum attribuit, legemque otioſam reddidit. At quid hinc contingit? Qui alicubi reconditos latere theſauros ſciunt, dum alios laboribus ſuis gauiſuros, ſe autem fruſtra illos ſubituros, quin & interdum acerbis examinationibus ſubijciendos conſiderant, illos inueſtigare negligunt: itaque in perpetuum recondita manẽt & pereunt, quæ in lucem producta magnam hominibus erant vtilitatẽ allatura. Iubemus ergo, *Vti* [d] *deinceps* ſecũdum veteris legis æquitatẽ iudicetur: & quando theſaurꝰ aliquis inuentus fuerit, ſi locus vbi inuẽtus eſt, in publicis Imperatorijſve fundis ſit, inuentor illũ cũ fiſco partiatur: ſi verò alterius cuiuſpiã ſit, ſimili modo ipſum & inuẽtor, & loci, in quo theſaurꝰ inuẽtus eſt, dominus inter ſe diuidant. Cæterum ſi improbus eſſe, neq; quicquid repererit, cõfiteri inuẽtor omne velit, ſed dolo mẽdacijſq; ex re reperta nonnulla detineat: in vanum tunc ille laborarit, & tanquam malitioſus rerumque alienarum occultator, & fur nihil omnino accipiat, ac beneficium loci domino ſoli cedat.

[a] lex 3. §. 10. *ff. de iur. fiſci.* §. 39. *Inſtit. de rer. diuiſ.*
[b] *d. §. 10. d. §. 9.*
[c] hoc innuit dictum §. 10. & *d. §. 9.* certis temporibus non fuiſſe in vſu.
[d] ſententia *d. §. 10. d. §. 9.* in vſum reuocatur a Leone.

*VT TAM VETERVM [e] PRINcipum quàm recentiorum numiſmata, modo iuſti ponderis, probæq; materiæ ſint, valeant. †

*CONSTITVTIO LII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

SI pecuniarum nerui [f] ſufficiens & copioſa illarum materia eſt, remque publicam pecuniarum vis ſtabilit, rectè profecto veteres defectum, velut morbum quendam ac tabem, inde profugarunt, dum omne genus numiſmatis, etſi ad veteres & priſcos Principes referretur, ſimiliter valere voluerunt [a]. Verùm egregium hoc inſtitutum haud ſcio qua de cauſa poſteriores Principes in eadem forma conſiſtere non permiſerint, ac, tanquam ſubditorum opulentiæ inuiderent, quæ numiſmata ſuperiorum Principum effigiem ferrent, ijs publico vſu interdixerint: ſua verò ſola in communi commercio eſſe voluerint. Næ illi, quantum hinc in communibus negotijs nouitatis, quantum item detrimenti, quod cum ad omnes, tum pręcipuè ad pauperiores, potiuſque auxilio & defenſione indigentes pertineat, exiſteret, intelligere noluerunt. Certe mercatorum vulgus, quique alioqui manibus victum quæritant, & demum vniuerſa ruſticorum natio, dum, antiquata ea qua hactenus vſi ſunt pecunia, alio modo res neceſſarias ſibi parare non poſſunt, in perquam anguſtas adiguntur anguſtias. Ea propter nos nouo recentiorum placito non acquieſcentes, veterum autem prouidentiam ſequentes, ſancimus, *Vt ſecundum benignum* reique publicæ commodiſſimum iudicium, numiſmatis omne genus (quod [b] quidem formam [c] materiamque non adulteratam [d], & plenum pondus habeat) ſiue vetuſtioris cuiuſpiam Principis, ſiue recentioris ſit, æqualiter & æſtimetur, & in republica tractetur. Pœna verò eorum qui rebelli animo decretum huc contemnent, fuerit, vt flagris cædantur, & cute [e] tenus tondeantur, inſuperque libras auri tres dependant.

[e] *Vid. l. 1. Cod. de Veteris numiſmatis poteſtate.*
† reducitur vſus deſuetus cui Nou. Nicephori Phocæ contraria c. 1. j.
[f] νεῦρα τῶν πραγμάτων *Scrimg.* νεῦρα τῶν χρημάτων Agyleus, & malè. Plutar. *in Cleomene,* ὁ πρῶτος τὰ χρήματα νεῦρα τῶν πραγμάτων προσειπών. quod Diogenes Laertius Zenoni tribuit. Demoſthenes ὑποτέμνηται τὰ νεῦρα τῶν πραγμάτων. Æſchines ὑποτέτμηται τὰ νεῦρα τῶν πραγμάτων. Nicetas in Emanuele Comneno καὶ χρημάτων ἐπιρρώννυσι διαδόσεσιν ἃ νεῦρα τῶν πραγμάτων ἀρίστως τῶν πάλαι τις κατωνόμασε. Euſtathius *2. Iliados.* τὸ νεῦρα πραγμάτων εἰπεῖν τὰ χρήματα οὔτε σκληρὸν ἀλλὰ καὶ ἀστοχάσαλον. & *4.* ὅτε δέ τις ἀκολούθων παλαιᾷ χρήσει νεῦρα πραγμάτων ἐρεῖ τὰ χρήματα. ſic in *lege 1. §. 20. ff. de quæſtion.* In tributis dicuntur eſſe nerui reipub. & *alibi:* in pecunia omne robur patrimonij poſuiſſe veteres *l. 22. Verſ. hinc accidit Cod. de adminiſt. tut.* Plura *vide apud Cui. 6. obſ. 19. adde Nouell. 149. c. 2. Nouell. 161. c. 2.*

[a] *l. 1. Cod. de Veteris numiſmat. poteſtat.*
[b] ἀπαραποίητον τὴν μορφὴν ἔχον, καὶ τὴν ὕλην ἀκίβδηλον, ἢ τὴν ὁλκὴν τέλειον *Scrimg.*
[c] Principum: quam imprimi numiſmatibus moris fuit *V. l. 1. C. de Veter. numiſmat. poteſt.*
[d] olim lege Cornelia plectebatur qui moneta vultu principũ ſignata (præter adulterinam) reprobaſſet *Pau. 5. ſenten. 25. §. 1.* Arrian. 3. *ad Epictetũ,* τὸ τοῦ καίσαρος νόμισμα οὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι &c. *adde edictum* 11. *Inſt. c. 3.*
[e] nota genus pœnæ, cui ſimile eſt in Nou. 58. *in f.*

*VT CVIQVE TAM INTRA ciuitates, quam extra, mortuos ſepelire liceat. †

*CONSTITVT. LIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

MEA quidem ſententia, leges ciuiles non ea modo quæ communi ſubditorum vitæ proſint, præſcribere: verùm de ijs etiam qui iam vitam finierunt, humanæ commiſerationi conuenientia decernere decet. Quę autem defunctorum corpora ignominiæ contumeliæque exponát, ac per quę communi hominum naturæ dedecus atq; turpitudo concilietur, nequaquam in leges ſunt includenda. At quod lex [f] mortuos non niſi extra ciuitates humari vult, quomodo id humanam naturam dedecore afficere non eſt? Et quidem ſi hoc pręcipiens, de ijs humandis ageret, quibus facilem elationem facultates, quas viui habuerant, ſuppeditarent, fortaſſe lex aliquam ad id iubendum rationem habuiſſet. Quanquam tunc etiam ad amicorum, cognatorum, neceſſariorumque defuncti commiſerationem reſpicere oportebat. Quorum dolori atque orbitati magnum ſane ſolatium eſt, ſi [g] amici ſui ſepulchrum amplexari, ac in id lachrymas profundere poſſint. Quæ officia extra ciuitatem ſepulto non facile eſt exequi. Attamen ſi illos ſolum extra ciuitatem ſepeliri vellet, quib. id ipſo mortis die per facultates facile eſſet, ad eam inclementiam aliquam lex occaſionem haberet. Verum nunc, quum inclementia illa ſimul ad omnes ſe extendat, quomodo non manifeſta eſt abſurditas? quomodo legem in naturę opprobrium ferri non eſt euidens? Qui enim, dum adhuc viuerent, inopes & deſerti erant, quomodo mortui ipſo mortis die humabũtur? Quomodo item, quum propter paupertatem ſepultura nõ accelerabitur, multis diebus inſepulti, non miſerabile ſimul & horrendum ſpectaculum iacebunt, tabeſcentemq; hominum naturam dedecorabunt? Extra hæc autem, quum mortui interdum famuli Dei appellentur, propterq; cœleſtem gloriam colantur, ipſorum corpora inhumata abijci, quomodo id verò expiationi etiam obnoxium non eſt? Ne igitur vllo modo inter ciuiles leges hæc lex recenſeatur, ſancimus: quin potius, vt à conſuetudine rectè contemnitur, ſic etiam decreto noſtro prorſus reprobator. *Quicumq; autem ſiue* extra muros, ſiue intra ciuitatem ſepelire mortuos volet, perficiendæ voluntatis facultatem habeto.

† & ita abrogatur lex 3. §. 7. *ff. de ſepulchro violato: l. 12. C. de religioſis: l. 6. C. Theodoſ. de ſepulchro violato: Paul 1. ſent. 21. §. 2:* & is locus Ciceronis, hominem mortuũ in vrbe ne ſepelito, de quo dixi ad leges XII. tabularum.
[f] v. dictas leges.
[g] Solatiũ hoc eſt viuorum, non mortuorum adiumẽtum.
† ergo ruſticis. quod olim non fuit. & ita abrogatur lex 3. *Cod. de ferijs.*

*VT DOMINICIS DIEBVS OMNES † AB OPERIBVS vacent [h].

*CONSTITVTIO LIIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

[h] *V. l. Vlt. §. 1. Cod. de ferijs: adde quæ dixi ad leges xij. tabul. ibi, ferijs.*

PRAESTANTISSIMVM illorum eſt ſtudiũ, qui ſe edendis quæ communi vitæ vtilia ſunt pręceptis dedũt: digniq; ſunt, eo quod ad ſubditorum vtilitatem omnes ſuas curas intendunt, quorum pius in rempublicam amor laudibus celebretur, ac præcepta ſanctè obſeruentur. Interim verò multo æquius fuerit, illis potius iſtiuſmodi reuerentiam attribuere, quos maiores pro humani generis ſalute, tanquam vniuerſi terrarum orbis legislatores, ſuſcepiſſe ſolicitudines conſtat, quaſq; leges tulerint, has alijs omnibus anteferre: idq; non ſolum propter id quod dixi, quod *videlicet* ad hominum vtilitatem, incomparabiliorem ſuſceperint atque contulerint curam: ſed quod etiam diuini numinis virtute ſcripſerint ſua decreta. Quoniam itaque illorum inter diſcipulos procerum legi, quæ Dominicæ reſurrectionis diem ceſſatione ab operib⁹ omnes venerari mandat, legem aliam contradicere conſpicitur, quæ non omnes ſimul operari prohibendos, nonnulliſque vti operentur indulgendum eſſe cenſet: (ait [a] enim *omnes iudices vrbanæque plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die ſolis quieſcant. Ruri tamen poſiti, agrorum culturæ libere licenterque inſeruiant.* cuius *iſtius* diei dehoneſtationis nulla ratiene nititur cauſa. nam quanquam fructuum conſeruatio prætendi poſſe videatur: nullius tamen illa momenti, req; vera futilis eſt: quum non agriculturæ diligentia, ſed Solis virtus, quando frugum largitori viſum ſit, fructuum abundantiam ſuppeditet) quoniam, inquam, iſtiuſmodi lex in lucem prodijt, quæ Domini cultum vilipendat, diuerſumq; ab illis, qui contra omnes aduerſarios à Spiritu ſancto victoriam obtinuerunt, decretum pręſcribat: ſtatuimus nos etiam, quod Spiritui ſancto, ab ipſoque inſtitutis Apoſtolis placuit, vt omnes in die ſacro, quoque noſtra integritas inſtaurata eſt, a labore vacent: neque agricolæ, neque quiquam alij in illo illicitum opus aggrediantur. Si enim qui vmbram quandam atque figuram obſeruabant, tantopere Sabbathi [b] diem venerabantur, vt ab omni [c] prorſus opere abſtinerent: quomodo qui gratiæ lucem, ipſamque veritatem colunt, hos eum diem qui à Domino honore ditatus eſt, noſque ab exitij dedecore liberauit, non venerari par eſt? aut quomodo, quum ex ſeptem [d] diebus vnus in Domini honorem conſecratus ſit, nos aliorum ad opera vſu contentos non eſſe, neque illum Domino eximium & inuiolatum conſeruare: ſed ipſum etiam vulgarem facere, noſtriſque operibus applicandum putare, religionis non eſt prorſus diſſolutæ?

[a] *lex 3. Cod. de ferijs.*

[b] Sabathi obſeruatio.

[c] Iuuenalis 14. loques de Iudæis. Sed pater in cauſa cui ſeptima quæque fuit lux Ignaua: *& Satyr.* 6. Obſeruant vbi feſta mero pede ſabbatha reges. cum dicit *mero pede*, innuere videtur iter ſabathi, de quo Actor. 1. verſic. 12. quod circiter 2000. paſſuum erat.

[d] Vnus ille ex ſeptem dieb. non eſt dies ſabathi: ſed prima ſabathi.

## VT IVDÆI SECVNDVM CHRIſtianiſmi ritus viuant †.

### CONSTITVTIO LV.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVI olim ſceptris potiti ſunt, de Hebræorum gente (quæ quondam quoad diuino patrocinio foueretur, inclyta fuit, nunc autem ob contumaciã in *Chriſtum* & Deum noſtrum, in calamitatibus celebris eſt) diuerſas [e] promulgarunt leges, quæ de ipſorum vitæ ſtatu tractantes, iubent, vt [f] ſacras ipſi ſcripturas legant, & ne à ſuis ritibus arceantur. quinetiam, vt liberos ſupra ſanguinis cognationem circumciſionis etiam cognatione ſuo inſtituto accõmodent. Atque hæc quidem, qui olim (vt dixi) imperium obtinuerunt. Verum ſacratiſſimus Princeps, ille ex cuius ſemine nos nati ſumus, vt qui maiore quam cæteri ſalutis ipſorum deſiderio teneretur, hos in ſola ſuperiorum legum obſeruatione relinquere (quod ante illum alij fecerant) non contentus: ſed partim ſacrorum oraculorum explicatione, partim eorundem admonitionibus ad ſalutarem Chriſtianorum cultum traducens, viuifica baptiſmi aqua initiauit. Atque quod ipſos in nouum ſecundum *Chriſtum* hominem transformari debere perſuaſit, vt veterem deponerent plenè effecit, & quæcunque vetuſtatem ſaperent, circumciſionem [g], ſabbathum [h], & ſi quid aliud eſt, cum illo ſimul exuit. Atqui cùm tanto cum effectu à Iudaica pertinacia ipſos deduxiſſet, non etiam prioribus legibus, quæ Iudaico ritu viuere permittebant, ſilentium & vacationem alterius legis decreto impoſuit. Quod igitur pater noſter prætermiſit, id nos adimplendum putantes, omni antiquiori, quæ dę Hebræis ſtatuit, legi ſilentium iniungimus: *& ne illi aliter* quàm pura ſalutariſq; Chriſtianorum fides vult, viuere audeant, iubemus. Quod ſi quis à Chriſtianorum ritibus defectione facta, ad Iudæorum mores & placita reuerti deprehendatur, hic ſecundum leges de apoſtatis [a] latas pœnas luat.

† & ita abrogatur Nou. Iuſtin. 146. & titulus Cod. de Iudęis quo permiſſum erat Hebræis ſuo more viuere.

[e] *C. de Iudæis: d. Nou.* 146.

[f] *d. Nou.* 146.

[g] *v. Nou. Iuſtin.* 37. *adde quæ dixi ad l.* 11. *ff. de ſicarijs.*

[h] *l.* 2. *l.* 13. *C. de Iudæis.*

[a] *v. tit. Cod. de apoſtatis.*

## DE ORIS † MARITIMIS.

### CONSTITVT. LVI.

Idem Imperator eidem Styliano.

HÆC etiam lex quæ maritimorum prædiorum ius tollit, eorum vnde apud [b] oras mare conſpicitur: quæque inſuper illorum dominum, ſi illic piſcari volentes prohibeat, iniuriarum actioni ſubijcit: nobis non ęqua ſtatuere viſa eſt. Quicquid enim non iniquo titulo in cuiuſpiam dominium deuenit, ſiue parentum hæreditas laborumque emolumentum, ſiue alio quocunque non illegitimo modo paratum ſit: quæ cauſa eſt, quamobrem id non ab eo qui in dominio habet, adminiſtretur, & illi non longè potius quam alteri cuipiam vtilitatem præbeat? Non eſt igitur legis, quæ quidem æquitatem ſpectet, vt alios ad vtilitatem rei, in quam nihil iuris habent, introducat: illos verò qui aut ſolutum precium, aut cognationis ius, aut deniq; alium aliquem poſſidendæ rei nõ illegitimum titulum laudant, illa priuet. Iam verò quod, quum ab illo tanquam loci illius domino, annuum tributum exigatur, expellere inde illum, qui præter ipſius voluntatem loci commodis vti velit, non poſſit: ſed ſi hoc faciat, iniuriarum actionibus tenetur: quomodo id, præterquam quod iniquum eſt, non omnibus modis abſurdum eſt etiam? Quid ſi prędij dominus piſcatoriæ artis non ignarus ſit, num ipſi otioſo dormiendum erit, alijſque orarum [c] emolumenta venari permittere debebit? aut, ſi ocium non amplectetur, in aliorum oris errabundus piſcabitur, in ſuis autem id ipſi non licebit? At quare ita fieri debeat, nullam equidem rationem video. Sancimus itaque, *vt quiſque oras* ſuas inconcuſſo iure poſſideat, illorumque dominus ſit: & ſi qui ſine ipſius permiſſu illorum emolumento frui velint, hos propellere poſſit. Nam quemadmodum terrenis locis iuris eſt, vt quicunq; domus dominus ſit, is præter illius vſum, veſtibulum [d] quoque atque atrium poſſideat: vt ita etiam maritimis obtineat, rationi eſſe conſentaneum putamus. Et ſicut terrenis locis præter voluntatem domini ex alieno fructus percipere nemini conceditur: ſed ſi quis fructus ex alieno colligit, eos vel benignitate domini percipiat, vel pro loci [e] vſu vectigal ſoluat neceſſe eſt: ſic etiam maritimis obſeruari præcipimus.

† περὶ προθύρων θαλαττίων *Scrimg.* πρόθυρον veſtibulum ædium *l.* 19. §. 1. *ff. comm. diuid.* Olim, qui alterum prohibuiſſet ante Prætorium ſeu prothyrum ædiũ piſcari, iniuriarum tenebatur: *l.* 13. *in f. ff. de iniurijs.* Hæc Nouella non tenetur, & ita abrogatur *d. lex* 13. *in f. adde l.* 14. *d. tit.* Nam vt ædiũ ita & prothyri ſui pleno dominio quemq; frui oportet. Eſt enim prothyrum ſequela ædium *d. l.* 13. *in fin.*

[b] παρὰ τοῖς προθύροις.

[c] τὰ τῶν προθύρων κέρδη θυρῶν *Scrimg.* τὰ τοῦ προθυρίου κέρδους. *Cui.* 14. *obſeruat.* 1. quid eſſet προθυρείων κέρδος *dixi ad l.* 15. *in f. ff. qui potior.*

[d] *d. l.* 13. *in fi.*

[e] ὑπὲρ τοῦ τόπου *Scrimger.* hinc τοπιατικὸν quod & ſolarium & locarium *v. d. l.* 15. *in fin.*

## *QVANTVM IN PISCATIbus remoræ [f] piſcatoriæ inter ſe diſtare debeant.

### CONSTITVTIO LVII.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVANDOQVIDEM quum plurimæ leges de piſcatione ſtatuant, illud quod ἐποχὴν [g] nominandum putarunt, adhuc lege definitum nõ eſt (quippe quod, vt videtur, quo tempore leges illæ promulgabantur, nondum id inſtitutum innotuiſſet) hoc quoque legis conſtitutionem auferre volumus. Quam itaque iuris rationem in hoc piſcationis inſtituto pro legitimo decreto obtinere conſuetudini viſum eſt (vt nempe interſtitiorum modus ad trecentos ſexaginta quinque paſſus protendatur) hoc nos, quod extra conuenientem modum non feratur, legis dignitate honorantes, dehinc legem eſſe ſancimus. Nam tametſi citra hoc priuilegium, vt remoræ piſcatoriæ ad hanc rationem diſponatur, præſentis æui hominibus bonum videatur: quo tamen id firmius ſit, cautiuſque in æternum obſeruetur, lex eſto, *remoræq; illæ trecentorum* ſexagintaquinque paſſuum interuallo à conſuetudine approbato, inter ſeſe diſtanto: idq; ita, vt ab vtraque parte hic interualli modus

[f] *adde Nou.* 102. 103. 104. *j. eod.* & his quidẽ de reb. ante hũc Leonem nihil cõſtitutum.

[g] In prothyris ſeu veſtibulis ædium, de quib. ſuperiore Nou. dictum eſt, maximè in anguſto mari, vt in Boſphoro Thracico vt plurimum erant ἐποχαὶ aut certè ἐποχῶν initia quæ poſteriores dixere θράνας, retia in mare extenſa confixis palis, Phauorinus δίκτυα ἀγρεύοντα τοὺς ἰχθύας. quam ob rẽ ἐποχῆς τὴν πῆξιν dixit Leo Nou. 104. *infra eod.* & ἐφάπλωμα, interpres Nouellæ 102. *v. Cuiac.* 14. *obſ.* 1.

desuma-

deſumatur: vt videlicet centum octogintaduo, & ſemis [a], ab vnius partis finibus exporrigantur, reſiduum verò ad vicinum vſque pertingat. Atque hæc quidem de conſtituendis introducendiſque poſt hanc legem remoratorijs dicimus. Quæ verò hoc decretum præuenerunt, tametſi præſtituto hoc interuallo nō diſtent, ex eius præſcripto tamen nihil nouabitur: permanebunque illa, vt initio cōſtituta ſunt.

[a] Iubet Leo intermitti ſpatium 182. vlnarum à ſuperiore vicina epocha & totidem ab inferiore.

NE † EX SANGVINE CIBVS CONFICIATVR.

*CONSTITVTIO LVIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

SIMVL olim legislatori Moſi [b] ſanguine veſcendum non eſſe mandauit Deus, ſimul ab iſtiuſmodi cibo abſtineri debere à præconibus gratiæ [c] eſt conſtitutum. Et quanquam tum veteris tum nouæ gratiæ tempore illa res vilis habita ſit, & nefaria: eò tamen contumaciæ, imo vecordiæ homines proceſſere, vt neutri legi aurem præſtent morigeram. At contra, alij lucri, alij gulę cauſa, ſumma cum impudentia mandatum contemnunt, in eſcamque qua veſci vetitum eſt, ſanguinem conuertunt. Perlatum enim ad aures noſtras eſt, quod inteſtinis tamquam tunicis illum infarctum, velut conſuetum aliquem cibum ventri præbeant. Quod tolerari non debere, Imperatoria noſtra maieſtas rata, neque tam impio ſoli gulæ inhiantium hominum inuento, nunc præcepta diuina, nunc reipublicæ noſtræ honeſtatem dedecore affici ſuſtinens, iubet, *ne quis id* ſcelus, neq; ad ſuum vſum, neq; vt emptores deteſtando cibo contaminentur, vllo modo exercere audeat. Ac ſciat, quicunque dehinc diuinum mandatum contemnere, ſanguinemque in cibum conuertere (ſiue vendat, ſiue emat) depræhenſus fuerit, ſe bonorum publicationi ſubijciendum, & vbi acerbum in modum flagris cæſus, ac cute tenus fœdè tonſus erit [d], perpetuo patriæ exilio multandum eſſe. Quo quidem in iudicio, neque ciuitatum magiſtratus citra criminationem dimittendos cenſemus: ſed vt & ipſi (neque enim ſi illi conuenienti alacritate magiſtratum geſſiſſent, id ſcelus commiſſum eſſet) quod negligenter ſocorditerq; ſubditis præfuerint, decem librarum auri multam ſuſtineant.

† reducitur ius Moſaicū *Leuit.* 17. receptum etiā temporibus primitiuæ eccleſiæ *act.* 15. *Verſ.*19.

[b] *Leuit.*17.

[c] *act.*15.*Verſ.* 29.*Canon.Apoſt.*62.

[d] ſimile genus pœnæ extat in *Nouell.* 62.*in fine.*

† *l.*5.§.1.*ff. de ſtatu: l.* 6.§.5. *ff. de iniuſto: l.*14.*ff. de pœnis:* §.4.*Inſtit. de iure perſonar.*

[e] συμμοιράσασθαι. *Scrimger.* ad pretium participandum *l.*5.§.1. *ff. de ſtatu. l.*6.§. 5. *ff. de iniuſto.* §.4. *Inſtit. de iur. perſonar.* ἐπὶ τὸ μερίσασθαι τὸ τίμημα *Theophil. ib.* Quæri hic poteſt quemadmodum ea venditio (nam in pignoratione minus eſt difficultatis *l.*23.§.1.*ff. de liberali cauſa:* & miniſterio *l.*16. *C. de liberali*) aut cuius tandem pretium venditionis iſtius acceptum, fieret? an venditoris? non video, cum ſtatim ab ipſa venditione venditor ſeruus efficiatur, nihilque ab eo inſtanti ſuum habeat. An emptoris? ne id quidem. nam qua manu pretium numeraret, eadem ſtatim reciperet, nulloque momento in venditoris perſona conſtaret *l.* 79. *ſ. de acquir. hæred.* An extranei? Non video quoque quemquam tam facilem in alium fuiſſe, vt ſe, alterius locupletandi aut iuuandi cauſa, vendat. Itaque exiſtimo ingenuos homines ad id redactos fuiſſe, vt herum à quo alerentur, interdum nanciſci expediret magis quam in perpetua mendicitate viuere. Ac ne interea vltrò ſe in ſeruitutem detrudere viderentur: vtque aliquam ſpeciem hominis ingenui ſemper præ ſe ferrent, ab emptore (Theophilus paulò aliter rem explicat *Inſtitut. de iure perſonar.* §. οἱ δὲ δοῦλοι, eo ſenſu: Ego cum aliquo egi vt me venderet viginti nummis, & ſibi pro lucro quinque haberet, quindecim mihi redderet) ſtipulabantur, eiuſque liberam ac perpetuam adminiſtrationem *arg. l.* 2. *ff. ſi ingenuus:* quod poſtea, vt iniquum omnino, mutatum eſt à Leone hac Nouella, & meritò: cùm talem ſui ipſius venditionem natura abhorreat, cùm parum interſit quis ſibi mortem naturalem aut ciuilem conſciat, cum nemo ſit dominus membrorum ſuorum *l.* 13. *ſ. ad legem Aquiliam.* quod liberi hominis nulla æſtimatio *l. Vltim. ff. de his qui deiecer:* quod ſit iniquum minori viginti quinque annis in integrum reſtitutionem dari ad res ſuas alienatas reuocandas, non dari ad libertatem reuocandam.

ABROGATIO LEGIS † QVÆ HOMINEM LIBERVM SE vendere permittit.

*CONSTITVTIO LIX.*

Idem Imperator eidem Styliano.

QVÆ lex hominem liberum, qui tam ignaui atque abiecti animi eſt, vt libertatis dignitatem dedecore afficiens, quo execrabile pro ſeruitute perſoluendi pretij lucrum participet [e], ſuam ſeruitutem mercetur, non caſtigat, neq; ſcelus illud corrigit: profectò & illa earum vna eſt quæ rectum reipublicæ noſtræ ſtatum dedecent, ac approbatione indignæ ſunt, neque auctoritatem & efficaciam accipere debent. *Illam* itaq; de eo qui res ſuas ita gubernat *latam* legē, quæ dementiā firmā eſſe permittit, neq; euerſa indigna illa mercatura, hos qui per inſipiētiam talia faciunt, competentibus pœnis ſubijcit, neque legis propoſitum ſcimus ſeruare, neque quæ conuenienti legibus reuerentia potiatur dignam putamus. Si enim quod [a] pater filijs eſt, id idem leges ciuib. eſſe oportet, vt in hoc vnum quod illis conducat ac ſalutare ſit colliment: quomodo hanc legem quæ tantum incommodum atq; damnum incumbere, ijs qui per dementiam in id ſe coniecerunt, ſinit, legibus annumerari ęquum eſt? Hanc itaq; nos legibus excerptam in exilium mittentes, ſancimus, *Vt ſi quis* ita demens ſit, vt libertatem ſeruitute commutans ſeipſum vēdat, ne is contractus validus ſit, ſed euertatur, & ſimul ipſe libertatis ſuæ proditor, ſimul is qui cum ipſo id facinus deſignauit, verberibus caſtigentur, nihiloq; minus veſaniæ mancipio libertas in priſtino ſuo ſtatu ſeruetur.

[a] Quod eſt pater liberis, id lex eſt ciuibus. ideo dicitur lex πόλεως συνθήκη κοινὴ *l.* 2.*ff. de legib.*

† olim ad eādem pœnam adigebatur. *cod. & Nou.* 142.c. quod hac conſtitutione abrogatur.

QVA POENA † CASTRATOres [b] affici debeant.

*CONSTITVTIO LX* [c].

Idem Imperator eidem Styliano.

VIRTVTIS [d] ad procreandum à Deo naturæ inditæ exectio non minore cum audacia identidem committitur, quam ſi apud Deum nulli pœnæ obnoxia eſſet, quum tamen vel maximè ſit: & quanquam veteribus legislatoribus curæ fuerit, vt id malum vltrice lege excideretur, quo reſpublica ab iſtiuſmodi inuento munda eſſet haud ſcio tamen, quum ſicui alij, huic certè præſcripto obtemperari, atq; à naturæ mutilatione abſtineri æquū ſit, quamobrem non ita faciant homines: ſed tanquam vtilitatem quandam, iſtiuſmodi aduerſus generandi vim inſidias reputantes, membra quæ homini naſcendi cauſſam ſuppeditant, lancinent, & creaturam aliam quàm qualis cōditoris ſapientiæ placuerit, in mundum introducere contendant. Hoc igitur quum inultum relinquendum non putemus, lege in id pœnam conſtituentes, quibus adeo [e] diuinam creaturam deformare religio nō eſt, eorum audaciam, auxiliante Deo, reprimere conemur. Ac ſuperiorum quidem legislatorum decretum eos qui auderent ad [a] eandem mutilationem quam alijs intulerint adigit, quodque ipſi in alijs videre deſiderarint, id vt itidem in ſe videant conficit: idque me iudice, non ita præter æquitatem: quanquam non valde decorè. Non enim quia ille creaturam Dei *quaſi* refingere auſus eſt, continuo vindicem id imitari, & pariter [f] refingere æquum eſt. Veruntamen quantum ad inuentum attinet, non valdè (quemadmodum dixi) id alienum eſt. Ad hoc autem alio etiam modo, qui impium hoc factum auderent, puniebat. Bona nanque publicabat, perpetuoque ipſos exilio adiudicabat: & qui iniuriam ſuſtinuiſſet, ſi ſeruus eſſet, libertate honorabat [g]. Atque ſuperiorum quidem decretum iſtiuſmodi erat. Nos verò de re illa ſententiam pronunciantes, naturæ inſidiatores ſimili mutilatione viciſſim mutilari prohibemus: alijs autem iſti crimini conſtitutis pœnis, (tametſi hic etiam ad clementiorem ſententiam reſpiciamus) ſubiacere ipſos non diſplicet. Sancimus itaq;, *Vt qui deteſtandæ* huius artis artificem ad caſtrandum aduocarit [h], ſi in albo [i] Imperatorij famulatus ſit, primum albo eximatur: ac deinde decem auri libris in fiſcum deferendis multatus in decennium relegetur. Malæ verò iſtius artis artifex [k], & ipſe primum flagris cuteque tenus tonſione deformetur, & deinde bonis priuatus, eodem temporis ſpatio patria exulet [l]. qui aūt iniuriam ſuſtinuit, ſi ſeruilis cōditionis ſit, reliquo vitę ſuæ curriculo ab illa liber erit: ſin liberæ, tanquam ipſe, quod iniuriam admiſit, eius ſibi author ſit, quod paſſus eſt, ſuo conſenſui acceptum ferat.

[b] de caſtratoribus *adde l.*27. §. 28. *ff. ad l. Aquil. l.* 3.§.4. *l.*4. §.2. *l.*6.*ff. de ſicarijs. Paul.* 5. *ſent.*23.§.7.

[c] huius Nouellæ meminit Balſamon *ad c.*21.22.23. *apoſt.*

[d] δυνάμεως πρὸς διαδοχὴν τοῦ γένους. Δύναμις, natura *l.*9.*ff. de liber. & poſthum.*

[e] i. ad eandē caſtrationē.

[f] de pœna talionis dixi multis locis, quibus adiūge *Nou.* 93.ī. *l. Vlt. C. ne ſac. baptiſm. l. Vlt. Cod. de accuſat. leg. Vlt. C. de calūniatorib. l.*7.*Cod. de Vi publica: l. Vlt. Cod. de his qui latrones: Nou.* 123. *c.*11. *Exod.*21. *Leu.*24. *Deuteron.* 19. *Matth.* 5. *Apocalypſ.* 13.*c. quod debetur* 14. *quæſt.* 1.*c. ſex differētiæ* 23.*quæſt.* 3.4. *l.* 3. *de contumelijs & Vulnerib. l.*6. *Niſigolli libro* 4. *Quintilian. declam.* 358. 372. *Iſidor.*5.*Etymol.*27.*apud Diodorum* 12. Ariſtoteles 5.*Ethic.* reprobat τὸ ἀντιπέπονθος, vt & apud Gellium 20.*capit.*1. hodie etiam non eſt in vſu. V. *Petr. Gregor.* 31. *ſyntagm.*20. [g] *d. Nou.*142. Qui publicabantur, id eſt, publici fiebant *l.*1.*Cod. de Eunuchis.* [h] Quemadmodum is puniatur cuius auctoritate & iuſſu alius caſtratus eſt. [i] τῷ καταλόγῳ τῶν βασιλείων ἀνθρώπων *Scrimger.* [k] de pœna eius qui aliquem caſtrauit. [l] lege Ripuariorum ſi ingenuus ingenuum conſtraſſet 200. ſolidis multabatur *tit.*6.§.1.*legis Ripuariorum.*

ret [a]. Cæterum ſi qui exectionem ſuſtinuit, ea illi (vt ſæpe fit) remedium [b] attulerit, nihil neque nobis neque legi aduerſari videtur. Id enim naturam non mutilare, ſed illi ſuccurrere eſt.

[a] pœnis tamẽ eccleſiaſticis ſubijcitur. nã ſi ſeipſum mutilauit ne fieret cleric⁹, vt ſui homicida Deoq; opifici hoſtis iudicatur *c.22. apoſt.* ſi iam clericus, deponitur *c.23.* Quid ſi laic⁹? trib. annis ſegregatur *c.24. ibid.* non idẽ eſt in eo qui vi hoſtiũ aut à tyrãno perſecutionis tempore caſtratus eſt, aut qui natus eſt Eunuch⁹ *c.21. apoſt.*

[b] *c.1. Nicenæ ſynod.*

## * TRIBVTORVM EXACTORES, ſi plus quam debeant exegerint, qua pœna † afficiendi ſint.

### CONSTITVTIO LXI.

Idem Imperator eidem Styliano.

SI rectam æquitatis ſemitam mortales ingredi vellent, ſanè quam magna hinc communi vitæ tum beatitudo, tum ſalus accederet. Nõ enim auſteritatem præ ſe ferre legislatoribus opus eſſet, neque vltrices leges in periculorum difficultates aliquos conijcerent. Nunc verò quanquam & commoda & ſalutaris æquitatis via ſit, plerique tamen illam ingredi nolunt: ſed tanquam laborioſa [c] atque aſpera ſit, miſeriaſq; viatoribus adferat, declinant. Sunt enim, ſunt *inquam*, quibus peſſima [d] *quæque* placent: quique ab æquitatis itinere deflectentes, ad iniquitatis viam denſis ſpinis ſtratam (qua viatores in perditionis præcipitia aguntur) alacri auidoque animo ſe conferunt. Quorum etiam temerarium impetum veteres caſtigandum eſſe putantes, illum lege, tanquam freno, inhibere inſtituerunt. Sed quomodo illi iniquitatem profligare, atque è diuerſo æquitatem conſtituere ſtuduerint, * * * Et quis (quæſo) quæ noſtra maieſtas ſuſcipit, non approbet? Quod verò in nonnullis non pro delicti merito pœnam ſtatuere, iſtiuſmodi decretum amplecti recuſamus. Quando etenim pro commiſſi ratione reis iudicium obuenit, ęquum reuera decretum eſt: quęque illis irrogatur pœna iuſta. At quando delictum grauius [e] quam oporteat punitur, non id iuſtitiæ, ſed potius iniuſtitiæ eſſe cenſendum eſt. Quocirca ſane, quũ ſuperiores legem [f] promulgauerint, quę illis qui colligẽdis publicis tributis pręfecti ſunt (διοικητὰς [g] promiſcuum vulgus appellare conſueuit) ſi ſupra legitimum modum tributa extendere audeant, grauiſſimam pœnam infligit (morte enim id delictum perſequitur) & verò non omnino meritò tantæ pœnæ illos ſubijci nos exiſtimemus, admiſſionem illi denegamus: contraq; ſtatuimus, *Vt ſi quis* in id crimen incidiſſe deprehendatur, ſemelque tantùm id auſus ſit, quod amplius exegerit, eius duplum dependat: ſin id facere pergat, in quadruplum, quod amplius captum eſt ad iniuria affectum redeat, illeque cum ignominia à concredito ſibi officio decedat. Ac ſit ſanè poſthac delicti huius hæc pœna, neque pecuniariæ fraudis reus de vita periclitetur.

† olim capitali ſupplicio adficiebatur *l. Vn. C. de ſuperexactorib. lib. x.* Hac autem Nou. pecuniaria dupli aut quadrupli multa puniuntur. & ita abrogatur d. lex vn.

[c] Virg. Nam via virtutis dextrum petit ardua callem, Difficilemq; aditũ primum ſpectantibus offert. Heſiod⁹ *Verſ. 288. 289.* loquens de virtutis via: μάκρος, inquit, δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν Καί τρηχὺς τὸ πρῶτον.

[d] hinc illud: video meliora probóque deteriora ſequor.

[e] *l. 12. ff. de pœnis: Nou. Iuſtin. 82. c. 10.*

[f] *l. Vn. C. de ſuperexactorib. li. 10. t. 20.*

[g] διοικηταὶ colligendis tributis præfecti.

## DE POENA † EIVS QVI REM ALIQVAM PVBLICAM vendiderit.

### CONSTITVTIO LXII.

Idem Imperator eidem Styliano.

PVBLICARVM iniuriarum reos caſtigari, & huiuſmodi pœnis quæ in illas pronos, ad temperantiam adigentes, quã maximè iniurias ſuccidant, ſubijci iuſtum eſt. At non idcirco amplius quam par eſt puniri, neque ius vt fines ſuos excedat, ſpecieque iuſtæ vindictæ cum iniuſtitia velut conſpiret, cogi conuenit. Si enim pro delicti modo qui deliquit puniatur, iuſta ea iuris vltio ſit: at ſi quam pro eo pœna maior infligatur, iuris propoſitum ſeruari non exiſtimo. Eapropter noſtra maieſtas, poſteaquam in ijs quæ a ſuperioribus [h] conſtituta [i] ſunt, vbi eos qui publicæ rei aliquid diuendere auſi ſunt pœnis ſubijciunt, non iuſtam ſententiam proferri didicit: vt eius criminis perſecutio non amplius hanc vim habeat decernit. Quomodo enim iuſtum eſt, vt cuiquam, quia quiddam quod detrimentum fiſco adferat vendidit, incurabile damnum, vitæ nempe priuatio, obueniat. Nequaquam itaq; delictum illud morte puniri dignum eſt, neque nos hoc iudicio depræhenſos feriri ſinimus. *Quicunq; autem* publicam rem diuendere deprehẽſus fuerit, vbi quadruplum reddiderit, ſatis pœnarum ſuſtinuiſſe putator.

† quadrupli ſc. olim morte affectus. & ita abrogatur *l. 3. l. 4. C. quæ res vent. poſſ.*

[h] Arcadio, Honorio & Theodoſio. [i] *d. l. 3. d. l. 4.*

## DE POENA ILLORVM QVI RES VETITAS AD HOSTES tranſuehunt. †

### CONSTITVT. LXIII.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVIN & hoc crimen, quum ex eodem fonte manet, eidemque pœnæ à ſuperioribus ſubiectum ſit: inſanabili nos caſtigationi (quippe quæ mortis pœnam contineat) eximentes, mitiore, quemadmodum & prædicta, dignamur pœna. A veteribus [a] enim ſtatutum eſt, ne ad hoſtes tranſportentur, quibus illi inſtrui firmioreſque reddi poſſint, ac ſanctionis decretum contemptores de medio tollebat. Nos verò iſti quoque crimini mitiorem pœnam (licet acerbam requirat) aſſignantes, talia conſtituimus: *Vt ſi nauis* dominus ſit, qui res vetitas ad hoſtes tranſuexit, conſiliumque ſuum cum nautis non communicarit, is ſolus pœnam ſubeat, & ſupra vniuerſum nauis onus, ni ipſum inopia valde premat, reliquorum bonorum trientem etiam fiſco dependat. Si verò ſoli nautæ (vt multa *illis* [b] malitioſum *ſuum* animum celantibus contingunt) id facinus auſi ſunt, ille quidem prorſus liber eſto, hi verò pœnam non effugiunto: ac primum quidem flagris cæduntor, cuteque tenus tondentor: deinde verò, ſi diuites ſint, eorum quæ exportarunt quadruplo multantor: ſin inopes & pauperes, ſupra verbera ignominioſamque tonſionem, quod alios in ſeruitutem tradiderint, libertatem amittunto. Nam qui, quantum in ſe eſt, non modo quamplurimos in ſeruitutem ducunt, ſed etiam *communi* vitæ acerbitatem adferunt, tametſi ad ſeruilis vitę conditionem adigantur, mediocris tamen hæc atque mitis pœna eſt. Atque hæc quidem, quando communi conſenſu patratum non eſt facinus. Si vero communi conſilio & malitia res geſta fuerit, vt ſimul eam perpetrarunt, ita etiam vtriſque ad præſtitutum a nobis modum caſtigandis, ſimul pœnas ſuſtinebunt.

† olim capitaliter puniebantur *l. 4. ff. ad l. Iul. mai. l. 1. 2. Cod. quæ res export.* alia pœna hic conſtituitur.

[a] Valente, Gratiano, & Marciano.

[b] Nautis malitia ſæpe ineſſe ſolet.

## DE POENA EORVM QVI NAVfragium ſuppreſſerint. †

### CONSTITVTIO LXIIII.

Idem Imperator eidem Styliano.

ILLVD etiam atque etiam admiror, quomodo qui naufragio eiectas res occultat, tantum delinquere videatur, vt id mortem ipſi inferre debeat [c]. Quod autem qui illos rebus ſuis defraudat, quibus aliquis miſericordia motus, vel de ſuo ſumptus ſuppeditet, quemque in corde dolorem circumferunt leniat (quum præſertim graues cruciatus in bonorum amiſſione ſuſtineri conſentaneum ſit) ille non mediocre flagitium audeat, id verò luce clarius eſt. Atqui quod hos, quos vecors cupiditas huc impulit, vita priuari oporteat, hoc *profecto* intellectu aſſequi nequeo. Nam quid tantum ablatum eſt, vt cum anima conferri poſſit, qua priuari debere *ille* condemnatur? Peſſimus quidem certè eſt & ſacrilegus, qui ſe iſtiuſmodi lucro mancipat: ac ſane *ille* (id quod ab aliquibus fit) mortuos ſpoliat. Veruntamen id facinus iſtiuſmodi non meretur pœnam. Pro [d] re enim materiali, & fluxa materiæ expertem atq; immortalem, animam *nempe*, capere haud eſt æquum. Nam ſi perſæpe neque in rebus materialibus mulcta illatum damnum longe ſuperat, quo *videlicet* velut circuitum aliquem iniquitas exceſſu non conficiat: quamobrem tam inæqualis pœna illos qui naufragorum res occultant, perceſſat, vt exceſſus, quem vltio ad facinus refert, exprimi verbis nequeat? Iubemus igitur, *Vt de hoc* nõ amplius ita vindicetur, ſed pro re detenta, qui occuluit, quadruplum [e] dependat, eaque pœna id delictum defungatur.

† quadrupli pœnã patiuntur hac Nouella. & ita abrogatur pœna mortis, qua olim affecti. *V. l. 3. in f. ff. de incendio. l. 3. §. 4. ff. de ſicarijs.*

[c] *ex d. l. 3. ff. de incendio. l. 3. §. 4. ff. de ſicarijs.*

[d] obſerua hanc ſententiam.

[e] pœna naufragium ſupprimentis.

## DE INCANTATORVM POENA †.

### CONSTITVTIO LXV.

Idem

† Incantatores, quorum opera olim grandines auerterentur, minime puniebantur *V. l. 4. C. de maleſic.* hac Nouella iubentur ſupremũ ſupplicium pati. adde Photium 9. Nomoc. 25.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVI propter [a] temulentorum incompoſitum malignumq; animum reprobandum eſſe vinum, eiuſque oblectamentum auerſandum dicit: nę ille propter peruerſum vſum, rem per ſe non peruerſam ſugillat. Ego vero promulgatam à veteribus legislatoribus legem [b] conſiderans, eam quæ modo incantamentum malum eſſe rata, id punit, modo verò admittit & approbat, *quanquam* id ex vtẽtium propoſito malum non fiat, ſed ſua natura vitioſitate, tanquã ſterquilinia graueolentia ſcaturiat: non *tamen* illos legiſlatores reprehendendos dixerim, ſed ne quis legem (quod merito fiat) vituperet, eam ex legum quaſi fundo tollendam puto. Vult autem puniri incantationes, eo quod modeſtia animi ſublata, ſtimulis furoreque [c] amatorio rationem ad inſaniam adigant: ac approbat [d] rurſum illas, tanquam ſegetes [e] & fructus curent, aliaque bona (vt quidem videtur) ſuppeditent. Atque ita quod tanquam inſidioſum puniiſſet, idem rurſum tanquam beneficum honorat. Atqui nos iſtiuſmodi incantationes pernicioſas eſſe perſuaſum habemus: & vt boni quicquam inde manare credamus, induci non poſſumus. Ac ſane etiam ſi boni quippiam producere illas appareat (quomodo *quidem* approbanti ipſas legi videtur) non *id* bonum eſſe, ſed illecebrem atq; naſſam, quæ illectos in malorum omniũ extremum, vbi à ſummo bono excidant, abſorbeat, compertum habemus. Notum enim nobis eſt, illas, vt qui ſe ipſis dedunt, præ Creatore & Domino infauſtis diriſque dæmonijs adhæreant, efficere: & qui illas affectantur, hos per externarum rerum lætam quandam ſpeciem vulnera in animam excipere. Quale quiddam inter pugnandum meticuloſis frequenter accidit: qui dum ictus in manus excipere nolunt, illis vel caput vel ventrem exponunt. Sanè verò *ſi quis aliquo* modo incantamentis vſus eſſe deprehenſus fuerit, ſiue id reſtituendæ conſeruandæve valetudinis, ſiue auertendæ à rebus frugiferis calamitatis cauſa fecerit, is apoſtatarum pœnam ſubiens, ſupremum ſupplicium ſuſtineto [f].

[a] Vſus rei propter abuſum hominũ non tollendus.
[b] d.l.4.C.de *maleficis & mathematicis.*
[c] ℣.l.15.*ff.de iniurijs.*
[d] *d.l.4.*
[e] v.omnino quæ ſcripſi ad *d.l.4.*
[f] Pœna incãtatorum, ſupremum ſupplicium *adde Deuteron.*18. *Leuit.* 20.1. *Regum* 28. *Platonem* 11 *de legib. Caſſiodor.* 9. ℣*ariar.* 18. *Dionem* 52. *Herodian.* 4. *Arrianum in Indicis* c.25. *Capitularis Caroli magni: Xiphilinũ in Iulian. Tacitum* 2. *Annal. Sueton. in Tiberio*: 32. *Columell. de re ruſtic.* 8. *Suidam in* ℣*erbo* ἑταίρα ν. *Petr. Gregor.* 34. *ſyntag.* 14.15.

DE PLAGIO. †

*CONSTITVTIO LXVI.*

Idem Imperator eidem Styliano.

VT iuſtitiæ libram non plus æquo ad miſericordiam inclinare, ita neque nimia auſteritate delinquentibus grauiorem quàm peccatũ requirat pœnam imponi, honeſtum eſt. Illud enim (intempeſtiua commiſeratio nempe) in illis quibus decorum excedere religio non eſt, contemptum & ad audenda mala ferueutiorem promptitudinem gignat: & grauiore quàm pro merito delictum pœna ferire, id vero nõ iuſtitiæ vltio, ſed ſub ſpecie iuſtitiæ rem iniuſtam aggredi eſt. Nam non pro delicti modo delinquentem punire, iniuria afficere, nequaquam verò iuſtitiam exercere eſt. At quem in finem hoc dictum eſt? Quod lex [g] quo neſcio modo (eſt enim hoc conſtitutum) eum qui alienum ſeruum abduxit, morte puniat. In quo illa pœnam ad delictum haud dubiè non expendit. Quum enim quod recuperari nequeat, amiſſum nihil ſit, mortis pœnam illi qui cœpit inferri, irrecuperabilique ita damno ſubijci, non eſt æquum. Idcirco itaque ab ijs qui digna morte non cõmiſerunt, tam acerbas pœnas exigi, vbi iniquũ eſſe animaduertimus, quam legem conſuetudo contempſit (vt quæ vita plagiarium non priuet, ſed alio modo puniat) eandem nos etiam legalibus conſtitutionibus eijcientes, quod conſuetudini placuit, lege confirmamus: ac iubemus: *Vt ſi quis* alienum ſeruum abduxiſſe deprehenſus ſit, is eundem, eiuſdemque pretium, tum etiam quicquid ex induſtria eius ipſi acceſſit, reddere, & quantum dominus non amiſſo ſeruo eius nomine percipere potuerit, tantundem [h] dependere cogatur: atque vltra hæc delinquentibus pœna non aggrauetur. Siquidem ita illi, qui ſeruum amiſit, ſufficienter damnum reſarcitur, furique ſatis magna pœna irrogatur: quippe quum ille ſeruum cum acceſſione recipiat, & quam vtilitatem ex ſeruo non ſurrepto ſenſiſſet, illa non imminuatur: hic vero in duplũ ſeruum ſurreptum reddere debeat, nihilque ex ipſius ſeruitute lucretur.

† περὶ ἀνδραποδισμοῦ, eiuſq; pœna pecuniaria, olim fuit capitalis ℣. *l.7.C.ad l. Fab. de plag.*
[g] *d.l.7.*
[h] De pœna plagiarij adde P. Gregorium 36. *ſynt.* ℣*lt.*

DE IIS QVI AD HOSTES tranſeunt, ſuaque ſponte reuertuntur. †

*CONSTITVTIO LXVII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

SIMVL nimia auſteritas & ſeueritas, ſimul immoderata lenitas & clementia, ex æquo vtraque quod vtile eſt interuertunt. Etenim & qui ſupra modum præfractus eſt, & qui lenitatem grauitate miſcere nequit, vterque ſiue alicui vni ſiue familiæ ſiue ciuitati præſit, quibus præfectus eſt, cum illorum detrimento res adminiſtret. Oportet enim, vt qui rectè præfuturus eſt, quemadmodum temperata ſalubriaque loca æquabiliter mixtas habent aeris qualitates: ita & ipſe affectionum commiſtione ad rerum adminiſtrandarum vtilitatem attemperata, ſe moderatum præbeat, & neque moroſitate grauis atque intolerabilis ſit, neque indecora lenitate deſpicabilis, & ad gubernandum ineptus fiat. Quod autem de aere dicimus, hoc certè & in legibus ſeruari omnino conuenit. Nam oportet leges, quum reuera reipublicæ principes ſint, quam dixi contemperaturam conſeruare, neque ad ſeueritatem lenitatemue ſuprà modum reſpicere: ſiquidem, qui ipſarum rectionem agnoſcunt, incolumes futuri erunt. Atque hæc quidem reſpectu præfractæ illius legis, quæ aduerſus eos qui ad hoſtes transfugerent, lata eſt, à nobis dicuntur. Vult autem illa [a], vti transfuga, ſi quando pœnitudine ductus, redeundo ad ſuos commiſſum delictum obliterare velit, beſtijs deuorandus obijciatur, aut in furcam tollatur. Quod ſanè mihi reipublicæ magnopere nocumento eſſe, magnamque rationum ad ſalutem iter monſtrantium contrarietatem gignere videtur. Neceſſitatem enim transfugis inducit, ne vnquam recordentur ſuorum, neque reuertẽdi in patriam concipiant deſiderium. Nullus *eſt enim omnium*, qui quum ſe iſtiuſmodi pœna excipiendum ſciat, inter hoſtes viuere, quam tam acerbam in patria mortem ſubire, non malit. Quapropter rigidam hanc ſeueritatem, vt ne iniquitatem dicam (nam eum qui deliquit, deindeque ſuapte ſponte ad medendum delicto reſipiſcit, tam acerbè puniri, quomodo non eſt iniquum) ex iuſtiſſimis legibus profligamus, ac iubemus, *Vt* [b] *ſi quis* transfuga in patriam recurrat, quum ſemel duntaxat trãſfugerit, veniam conſequatur: ſi iterum [c] id fecerit, in triennalem ſeruitutem diuendatur: ſi verò tertiò transfugerit, reuerſus in perpetuam ac æternam ſeruitutem addicatur. Tam incerti enim conſilij homo, tamque inconſtans, qui libertate fruatur indignus eſt. Cæterum ſi transfuga non vltro redierit, ſed ab alijs comprehenſus in patriam retractus ſit, morte tum illum, tanquam hoſtem puniri, neque iniuſtum, neque crudele fuerit: præſertim verò, ſi ante ciuili ſanguine manus contaminauerit.

† beſtijs non obijciendis, vt olim ex lege 3. §. 10. *ff. de re milit.* quæ lex abrogatur hac conſtitutione *adde 6. Harm.* 8. *in ſi.*
[a] *d.*§.10.
[b] De pœna transfugæ *ad de l.* 8. §. 2. *l.* 38. §. 1. *ff. de pœnis: l.* 7. *ff. de re militari l.2.C. de deſertorib. l.1. C. de ſeruis fugit.* ℣*.l.3. in ſi. ff. de ſicarijs.*
[c] Iterata delicta grauius puniuntur *l.* 3. §. 9. *ff. de re militari.*

VT MONACHI ET CLERICI Tutores † eſſe poſſint: ſed ab adminiſtratione ac pupillorum rectione arceantur.

*CONSTITVT. LXVIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

VETERIBVS quidem legislatoribus [d] (quum vt ſimile veri eſt, vniformis & ſimplex tunc temporis tutela eſſet, ijque ſoli qui pupillorum tuitionem ſuſciperent, tutorum nomine cenſerentur) edicere viſum eſt, ne monachi aut quoſcumq; ſacer ordo deuinctos habet, tutorum officio fungantur. Et certè quidem id rectè edixere. Intellexerunt enim, qui diuino miniſterio conſecrati ſunt, hos ab externarum rerum occupationibus & moleſtijs liberos eſſe oportere. Quantum autem alendorum alioquique regendorum puerorum cura hominum animos diſtrahat, vtque Deum debite colere non poſſint, impediat, nemo ignorat. Quum itaque non exigua difficultas iſti rei inſit, ac præcipuè propter temporis diuturnitatem (tota enim plerumque vita tutores laborioſis iſtis curis irretiti tenentur) rectè (quomodo dixi) iſtud illi decretum promulgarunt. Verum quoniam poſteriores illis duntaxat qui tutelam adminiſtrarent, tutorum appellationem nõ

† περὶ τοῦ ἐπιτροπεύειν. &c. *Scrimg.* executores teſtamentorum intelligit vt j. & ita reſtringitur Nou. 123. c. 6. quæ de tutela ſimpliciter ſumpta loqui videbatur.
[d] Iuſtiniani in Nou. 123. c. 6.

ſeruarunt: ſed hos etiam quibus [a] teſtatores, bona illorum exiſtimatione moti, teſtamẽtarias de rebus ſuis præſcriptiones [b] committunt, ac poſt mortem earum executionem concredunt, tutores vocare cœperunt: ac verò inde dubitatio extitit, an monachi, quiq; ſacrum ordinem ſubierunt, quòd dictum decretum id non admittere videatur, hanc demandatam curam ſuſcipere poſſint: nos diſcrimine adhibito ſancimus, vt ab illa tutela ad quam vetera tempora reſpicientia, promulgandi decreti, quod dictis perſonis ad illam aditum præcluderet, occaſionem præbuêre, penitus illi arceantur, natam autem poſtmodum tutelæ ſpeciem ſubire ipſis licitum ſit. Huius namq; muneris non ita graues curæ ſunt, vt à diuino miniſterio aliquem abſtrahant, ſibiq; totum aſtringant. Tum alioqui quantò hi illis qui profanis rebus impurè inhærent, ac in terrenis ſordibus volutantur, cautius diuiniuſque viuunt: tanto melius cautiuſq; defunctorum præſcripta expedienda eſſe ſpes eſt.

## CÆCOS [c] SECRETO † TESTAmentum facere poſſe.

### CONSTITVTIO LXIX.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVANDOQVIDEM de eo, quomodo cæcos teſtari oporteat, dubitatur, eaque dubitatio ex locis legalibus (quod ea de re leges inter ſe diuerſa ſtatuant) & ex ea quæ nunc obtinet conſuetudine exiſtit: neque hoc altius expendere atq; repurgare inconueniens aut alienum putaui. Etenim alia lex [d] prohibet, ne cæcus arcano [e] modo teſtamentum condat: & ne aliter id vim habeat ſtatuit, quam ſi teſtes quæ conſtituta ſunt, à cæci ore proceſſiſſe, ſuiſq; auribus inſonuiſſe aſſerant: atque per ſolum tabularium illorum fidem communiri non vult. Alia [f] autem latam quandam ad arcanum [g] teſtandi modum mulieribus, & illiteratis hominibus viam aperit, dum nullam aliam obſeruationem præſcribit, quam, vt ſi teſtator literarum non omnino ignarus ſit, ſua ſubſcriptione teſtamentum corroborare debeat: ſi verò id præſtare non poſſit, pro ſe alium ad ſubſcribendum aſſumat. Atque ſic quidem ex legibus *illæ inter* ſe res diſſideant. Quomodo enim, ſi mulieres rudeſque literarum quàm pauciſſimis voluntatis ſuæ conſcijs teſtamenta condent, quum fides in ſolo tabulario fluctuet, non ex eadem cauſa cæcus liberã teſtamenti factionem habeat? Iam verò & conſuetudo, non ſolùm aũt alterius legis ratio, cum lege pugnat. Etenim placet huic, ne mulierum, imperitorum literarum, cæcorúmve teſtamenta arcanè facta vigore priuentur. Quod quum ita ſit, nos quoque, vt ſecreto [h] confecta teſtamenta, ſiue cæcorum, ſiue aliorum quorumuis ſint, authoritatem obtineant, ſancimus: illúdque inſuper ſtatuendo addimus, vt antequam teſtes iurent, ſubſcriptiones eorum qui teſtamenta conſcripſerunt, in medium proponãtur, *quæ ſonent*, quòd reuera illa ſcripſerint quæ ipſa teſtatoris lingua dictante audiuerunt. Et ſi quidem falſum commiſſum eſſe poſtmodum probetur, ipſos, ſi diuites ſint, bonorum ademptio: ſin pauperes, vehementia verbera & exilium in delicti pœnam maneant. Quibus hoc inſuper annectimus, vt ſiquando ad ſui confirmationem (quod frequenter incidit) iuramentis teſtamento opus ſit: ipſi etiam, qui teſtamentum conſcripſerunt, vnà cum iuraturis teſtibus rei fidem & veritatem corroborent.

[a] Vetuſtas executores teſtamentarios nonnunquã ἐπιτρόπους appellauit. dixi ad *l.107.ff. de legat.1. adde Nouel.*131. *c.*12. [b] præſtationẽ *d.l.*107. miniſterium *l.7.ff. de legat.2:* dationem *l.9.ff. de alimentis:* diſtributionem *l.96.§.5. ff.de legat.1: l.7.ff.ſi cui plus quam per leg.* eis præſtatur cautio legatorum *d.§.3.* & petitio cõpetit *d.§.3. d. l.104.: d.l.9: l.28.§.1.Cod.de epiſcop.* [c] Cæci ſcripto teſtari poſſunt *vt hic: adde Pau.3.ſent.4.§.4.* vt & adoptare & adoptari *l.9.ff.de adoptionib.* tutelam gerere *l.16. ff. de authoritat. tut.* multò magis bona ſua adminiſtrare. ideo curator cæco dari nõ ſolet. quia & ipſe ſibi procuratorẽ poteſt inſtituere *Paul.4.ſent.* 2.§. *vlt.* Poteſt etiam cæcus officio fungi. *l.6. ff.de iudicijs:* & quidem ſenatorio *l.1.§.5. in fin. ff.de poſtulando*, id eſt retinere officium (Perſæ ne luſcum quidem ad regnum admittebant, *Procop.*) & teſtis eſſe in ijs quæ ante cæcitatem vidit: poſt cæcitatem de his quæ audiuit à ſibi notis hominibus *Accurſ. Nouell.* 1. *cap.* 2. §. 1. *verſicul. ſi verò in verbo vidiſſe: Speculator titul. de teſtibus.* feudum etiam retinet 4. *Feudor.* 41. non poteſt tamen poſtulare *l.* 1. §. 5. *ff. de poſtulando.* † id eſt ſcripto aut tantùm per nuncupationem, quod exigebat lex 8. *Codice qui teſtamenta.* Olim dubitatum fuit, Num cæcus teſtamentum poſſet facere: ſed in eam ſententiam tãdem itum fuit, poſſe: quia accire poteſt adhibitos teſtes, & audire ſibi teſtimonium perhibentes *Paulus 3.ſententiarum* 4.§.4. [d] *l. 8. Codice qui teſtamenta.* [e] κατὰ τὸν μυστηριώδη τρόπον *Scrimger.* id eſt ſcripto, ſed per ſolam nuncupationem. Nam μυστικὴν διαθήκην Harmenopulus 5. *titul.* 1. vocat, teſtamentum ſcriptum: & meritò. teſtamentum enim non ſcriptum, teſtibus euulgatur neceſſario: idque iure conſtituitur, ne alioquin fides teſtamenti pereat. [f] *Nouell. 119. capit. 9.* [g] εἰς τὸ πρὸς τὰς μυστικωτέρας διατάξεις καθίστασθαι. *Scrimger.* [h] διατάξεις ἐν μυστηρίῳ κειμένας *Scrimger.*

## DE GRASSATIONIBVS. †

### CONSTITVTIO LXX.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVOS communio in vnam aliquam eandemque conditionem coniungit, inter hos communes etiam animos eſſe vbiq; videas. Ita in negotiationibus, ſocij [a] lucrum damnumq; æqualiter inter ſe partiuntur: ita itinerum comites, quum fortuitu in rem aliquam incidunt [b], tametſi ſæpè vno illam momento pariter non conſpiciant, eius tamen inter ſe ius communicant [c]. Ita verò & commilitones [d], licet omnes non pari ſtudio & impetu in hoſtem ferantur, attamen victoriæ palmam ex æquo auferunt. Quapropter etiam, vt qui malitioſo conſenſu coitione facta, rem aliquã in quam a lege pœna conſtituta eſt, incœptant (vtpote ſi [e] raptus committatur, vel parricidium [f] alteriúſve cuiuſpiam cædes perpetretur) quanquam non omnes tantundem momenti & operis re peragenda conferant, eandem tamen pœnam ſuſtineant: ſanè quàm rectè veteri legiſlatori placuit. *Et nos quoque* idcircò, quæ de his qui ſimul & communiter latrocinandi [g] animo homines inuadunt, iam olim ſancita ſunt, approbantes [h], ſtatuimus, vti omnes, quotcunque fuerint [i], eodem [k] ſupplicio afficiantur: tametſi parem operam rei perpetrandæ non omnes adhibuerint. Non enim ſi quis ipſe manus inferendæ neci non admouerit, continuò inſons & à pœna immunis eſſe poterit. Quid enim ſi preſſis ipſe manibus, alterius tamen dextram ad cædem intenderit atque confirmarit? Sanè quod manus homicida, à communi peruerſitate inſtigata, rem aggreſſa ſit, conſtat. Nam niſi aliorum manus huic in ſubſidium pręſto fuiſſent, non certè ita promptè homicidium perpetraſſet. Ac propterea (quemadmodum dictum eſt) quanquam vno cuiuſpiam ictu (quod fieri poteſt) mors illata fuerit, aliorumq; manus ſuppetias non tulerint: vt eandem tamen omnes pœnam ſuſtineant, decernimus.

## DE IIS QVI IN LOCIS ARABILIBVS [l] AVT VINEIS [m] ædificaturi ſunt. †

### CONSTITVTIO LXXI.

Idem Imperator eidem Styliano.

PRAESTANTISSIMVM illud æquiſſimumque patris noſtri ſempiternæ gloriæ Principis placitum, quantò [n] *videlicet* à vicini finib. ſpatio abſtinere debeant, qui in locis, quos hactenus aratrum ſecarit, inve quib. vineæ conſtiterint, nouiter domus *publicis* [o] *muneribus aſſignandas* ædificare velint: quoniam ab ipſo in legum corpus [p] tranſcriptum [q] non eſt, legis [r] authoritate decorari oportere iudicauimus. Statuimus itaq;, vt qui in locis ad ſementem excultis nouas ædes conſtruere volunt, ſi loci amplitudo ferat, ſecundum illius [ſ] placitum a vicini finibus tanto ſpatio ædificent [t], in quantum arcus iterata [u] vice telum eia-

† περὶ ἐφόδων *Scrimg.* Hac Nouell. confirmatur ius vetus pœnæ conſtitutæ aduerſus graſſatores. [a] *l.29.ff. pro ſocio §.1. Inſt. de ſocietate.* [b] *adde l.5.ff. pro derelicto: l.43. §.7.8.9. ff.de furtis: §.47. Inſt. de rer. diuiſ.* [c] fortè ex pacto. idque etiam referri poteſt vel ad rem pro derelicto habitã *d.l.* 5. vel ad eas quas dominus ignorauit. *arg. d. §.7.8.9. Nouell.64. ſuprà eodem.* [d] συστρατιῶται commilitones qui ſimul militant. [e] de complicibus raptus *l. vn.§.2.C. de raptu.* [f] de complicibus parricidij *l.2. l.6. l.7. ff. ad l. Pompeiam de parricidijs.* [g] ἔφοδον Græci, Galli *guettenr de chemins facit l.28.§.10.ff.de pœnis: Nouel.134.c.13. verſ. Eos verò, ibi, aut itinerib.* [h] nihil igitur hac lege innouatur. [i] conſcij, cõplices, miniſtri *l.2.§.12.ff. vi bonor.*

[k] Pœna miniſterium præbentis graſſationi faciendæ *d.§.12.* [l] ἀρασίμοις. [m] ὑπαμπέλοις. † & de ſpatio quo domum ædificatam in agris abeſſe oportet ab aruo vicini. Spatium autem definitur, quantum vnus vel duo teli iactus faciant. olim duorum pedum ſpatium videtur fuiſſe *l. vlt. ff. finium regundor.* quæ hoc modo videtur abrogari. [n] *leg. vlt. ff. finium regundor.* [o] εἰς ἀποκλήρωσιν *Scrimg.* vetus liber habet ὡς ἀποκλήρωσιν, quod eſt, ὡς ἀπόμοιραν, vt partem aliquam ab aruo aut vinea ſeparabant. Nam & ἀποκληροῦσθαι dixit duobus locis *Nouell.*5. per partem alicui addere & ſupponere v. *Cui.* 17. *obſer.*31. [p] εἰς τὴν τῶν νόμων πολιτείαν *Scrimger.* intelligit πρόχειρον Baſilij de quo dixi initio harum Nouellarum. [q] ἐγγράφησαν πολιτείαν *Scrimger.* ἐγγράφη συμπολιτείαν *Cui. 17. obſer. 31. vt Nouell.78.* τῆς ἐν τοῖς νόμοις συμπολιτείας. [r] νόμου τιμῇ *Scrimger.* νόμου τιμῆς *Cui.17. obſ. 31.* [ſ] κατὰ τὴν ἐκείνων *Scrimg.* κατὰ τὴν ἐκείνου *Cuiac. d. loco.* [t] ποιεῖσθαι τὸ διάστημα *Scrimger.* μετρεῖσθαι τὸ διάστημα vt apud Harmenopul. *Cui. d. loco.* [u] δυσὶ τόξου βολαῖς *à deux traits d'arc.*

culetur: ſin tantum ſpatium interſtitio loci anguſtia non præbeat, vno etiam arcus iactu hoc conſtituatur. Intra dictum autem ſpatium nouam [a] domum extruendi nemini facultas ſit. Cuius ratio euidentior eſt, quàm vt exprimi opus ſit. Quo enim ædificium propius vicini fruges ponitur, eo illi etiam noxa propinquior eſt.

## VT PACTA ETIAM NON conſtituta pœna [b] valeant. †

### CONSTITVT. LXXII.

Idem Imperator eidem Styliano.

Legali [c] decreto, quod nudum pactum non actionem, ſed ſolùm exceptionem parere tradit, nonnullos illudere videmus. Dum enim omne pactum quod pœna ſtabilitum non eſt, nudum eſſe volunt: etiamſi [d] ſcripto comprehenſum ſit pactum, etiamſi [e] qui pactum inierunt, ſua manu ſacroſanctæ [f] crucis [g] nota [h] ſcriptum ſignarint, etiamſi diuini [i] ternionis appellationes adiectæ ſint: ſi tamen pœna conſtituta non ſit, id, vt inualidum, contemnunt ac reijciunt. Qui ſanè malè ſentiunt, minimeq; iudicium ſuum comprobent, vt qui rebus diuinis communes res mortalium longè præferendas cenſeant. Quam enim tantam, recto quidem hominum iudicio, adiectio pœnæ, pactis authoritatem, quantam ſacroſanctum ſignum, diuinitatiſque nomenclatura in illis conſpecta, præbeat. Sancimus igitur, *Vt omne* pactum, in quo ex diuinis hiſce adiumentis [k] idoneum aliquid ad faciendam fidem inſit, quamuis de pœna nihil ſcriptum ſit, firmum ſolidumque robur habeat.

## VT NEMO CVM [l] MVLIERIbus in eccleſiarum cœnaculis habitet.

### CONSTITVT. LXXIII.

Idem Imperator eidem Styliano.

Qvæ res etiam antequam iure prohibita eſſet, deteſtabiliter committebatur, ac verò poſt prohibitionem multò deteſtabilius audetur (quod nempe in Eccleſiarum cœnaculis, quæ promiſcuum vulgus κατηχούμενα [m] vocare ſolet, quidam cum mulieribus habitant) eam neglectim habere æquum non eſt: neque verò ita à nobis habebitur. Ac fuit hæc quidem res ad ſextam [n] vſque ſynodum, haud ſcio qua ratione, impunè admiſſa, in ipſa autem ſancta ſynodo, vbi penitus excuſſa eſſet, ſacerdotibus ita habitantibus, remotionem [o] à ſacro ordine, profanis verò à rerum ſacrarum cõmunione ſeparationem [p] induxit. Verùm, vt plenè ab eo auſu eccleſias vindicaret, ad id ſacerdotale decretum non par fuit. Nam cum ad id vſque tempus, quo pater noſter inclytus Princeps ſceptra moderatus eſt, in rep. conſtitiſſet, vt Principis decretum atque manus eam inſolentiam ſacris ædibus expelleret, oportuit. Quod nos quum dehinc obtinere velimus, ſtatuimus, *Vt omnino nullus*, neq; ſacerdos, neq; profanus, in [q] dictis cœnaculis cũ mulieribus habitet: ac ſi quis ſacram ędem hoc modo fœdare deprehendatur, hic illinc ignominioſè principali manu exturbetur, qui verò illi eum locum habitandum præbuit (ſiue ſacerdos, ſiue aliquis alius qui templum procurat, ſit) ipſe quoque propter legis contemptum ſacrorumq; profanationem procuratione periclitetur.

[a] τῆς τοιαύτος τῶν οἰκήσεων νεουργίας *Scrimg.*
[b] ἄνευ πρόστίμου.
† Nudum pactum non parit actionem *l. 7. §. 4. ff. de pactis.* Nudũ non cenſetur interpoſita diuini nominis denominatione aut ſigno, *Vt hic.*
[c] hic locus valde ſuſpectus. Nudum enim pactũ nõ eſt, quod literis eſt munitum *Inſtit. de literarum obligationib.*
[d] *d. §. 4.*
[e] Ratio abrogandæ legis hinc ſumitur.
[f] τὸν θεῖον ςαυρὸν *Scri.*
[g] adeo ſignũ Chriſti ſanctũ fuit ſeculo veterũ, vt in inſtrumentis pro fide & ſubſcriptione cederet *l. Vlt. §. 2. C. de iure deliber. Nouel. 73. c. 8. Nouell. 90.* & collatione eius, profana loca expiari & Deo conſecrari crederentur *Nou. 5. c. 1. & 67. c. 1. Nouel. 131. c. 7. l. Vlt. Cod. Theodoſ. de pag. ſacr.* prę-ferebatur quoque litanijs publicis *Nou. 123. c. 33.* At è contrario vetitũ ne in locum publicum, vel priuatum voluptatibus deſtinatum crux inferretur *leg. 26. Cod. de epiſcop.* aut ad contumeliam paſſionis Chriſti deferretur *l. . Cod. de Iudæis.*
[h] ἐν τάξῃ *Scrimger.* Signum etiam veteres appellarunt. *Cod. nemini licere ſignum ſaluatoris Chriſti.* Ratio à Chryſoſtomo affertur, ὅτι πάσας (inquit) τοῦ θεοῦ τὰς παρακαταθήκας ὅσας ἂν λάβωμεν, τούτω καθάπερ τίνι σημάντρῳ βασιλικῷ καὶ δακτυλίῳ σφραγίζομεν, hæc ille. Conſtat quoque veteres frontem eo ſigno præmuniſſe. *V. Proteuangelium Iacobi.*
[i] θεαρχικῆς τριάδος.
[k] Crucem intelligit & Trinitatis denominationem.
[l] *facit Nouell. 123. c. 29. Nouell. 133. c. 3. l. 19. l. 44. Codice de epiſcop. canon 47. Synod. in Trul. Synod. ſeptim. cap. 18. & 20.* vbi de duplicibus monaſterijs *Nouell. 123. cap. 36.*
[m] κατηχούμενα *vt infrà eodem* Catechumenorum manſiones. *ſexta ſynodus, cap. 98.*
[n] in Trullo.
[o] quam Græci καθαίρεσιν, *Scrimger hic.*
[p] ἀφορισμὸν *Scrimger.* Clericorum eſt καθαίρεσις. de qua ſ. monachorum & laicorum ἀφορισμός.
[q] ἐν τοῖς λεγομένοις κατηχουμένοις οἰκεῖν *Scrimger. vt ſuprà eod.* κατηχούμενα.

## NE ANTE LEGITIMVM MAtrimonij tempus futuris coniugibus benedicatur [u].

### CONSTITVTIO LXXIIII.

Idem Imperator eidem Styliano.

Qvoniam in ijs quæ à ſacra magnaque ſexta ſynodo de nuptijs in duodecenteſimo [a] canone præcipiuntur, quiddam ciuilis iuris placitis contrarium exiſtere videtur (ſynodus enim [b] ne ſponſa, viuente adhuc ſponſo, in matrimonium alteri coniungatur, in vniuerſum prohibet, eamque rem pro adulterio [c] habet: ciuilis autem lex [d] nequaquam talem diſſolutionem magnum aliquod eſſe crimen iudicat: ſed ſi maturius [e] quam pro connubiali tempore ſolennis nuptialis benedictio celebretur, in ſolis arrhis, & quicquid pœnæ nomine permiſſum fuerit, dependendis, pœnam circumcludit.) Quoniam itaque ipſum contrarietatis velut vulnus hinc acrior ratio conſpicit (quod enim poſt benedictionem dirimantur, in eo vera ſponſaliorum diſſolutio ſtatuẽda) eſt ſancimus, ne prius benedictiones [f] celebrentur, quàm legitimum matrimonij aduenerit tempus, quod in maribus decimumquintum [g], in fœminis decimumtertiũ expectat annum. Sic enim & benedictio tempeſtiuè fiet: & deſponſatis à ſe inuicem diuertentibus, quod perfectum matrimonium diriment, à ciuili lege iudicium quod eccleſiæ placitis non aduerſetur, obueniet.

## VT QVI VIGINTI [h] ANNOrum eſt, hypodiaconus creari poſſit.

### CONSTITVTIO LXXV.

Idem Imperator Stephano ſanctiſſ. Conſtanti. Archiepiſcopo & Patriarchæ vniuerſali.

Si ſacrorum decretorum ſanctio ad res ciuiles tranſiens, in illis ſæpè plus authoritatis quàm ipſæ ciuiles de ijſdem rebus tractantes leges habeant: quantò magis ſacra decreta in ſuis reb. ciuilibus legibus præualebunt? At quid eſt quod dico? Sexta ſynodus [i] vicenarium hypodiaconum ordinari poſſe ſancit: huic verò ciuilis lex contradicens, viginti annis quinque admetiri iubet. Nos itaque, *Vt ſi ſacram* legem ſacer ordo ſequatur, conuenire rati, vt ad hypodiaconatum, qui quidem eo digni ſunt, anno ætatis ſuæ vigeſimo admittantur, ſancimus.

## DE POENA † FALSVM TESTImonium dicentium ſacerdotum.

### CONSTITVTIO LXXVI.

Idem Imperator eidem Styliano.

Qvæ præconibus Dei (ſacroſanctis Apoſtolis nempe) ſacræ ſanctiones [k] adſcribuntur, ſacerdotes falſo iuraſſe deprehenſos, ſacra dignitate priuant [l]. Ciuilis verò reipublicæ moderatrices leges [m], vbi huius rei conſtituendo tractatui incumbunt, falſum teſtimonium bifariam diuidunt: & quod falſum dictum in cauſa criminali deprehenderint, remotione a ſacro ordine puniunt: qui verò in re pecuniaria falſum teſtimonium dixerint, hos ad tempus relegando, non autem penitus remouendo puniunt. Nos igitur iubemus, *Vt qui iurati* falſum teſtimonium, ſiue in cauſa criminali, ſiue pecuniaria tulerint, profani illi a ſacerdotio abſpellantur: at ſi ad falſum teſtimonium iuſiurandum non acceſſerit, qui falſum veritatis ſpecie obtegere conati ſunt, in triennium [n] relegentur, (relegandi autem in monaſterium aliquod erunt, vbi illos ad arctiorem vitæ quandam normam viuere oportebit) delictique conuenienti pœnitentia facta, in priſtinum ſuum reſtituantur ſtatum.

## DE FALSARIORVM POENA.

[u] *adde Nou. 89. ſ. eod.*
[a] ςνῶ *Scrimger.* legendũ ςνῶ i. 99.
[b] ſexta ſc. *d. c. 99.*
[c] Adulterium cõmittit, qui alterius ſponſam ducit.
[d] *l. 1. 2. 3 Cod. de ſponſalib.*
[e] *V. d. l. 3.*
[f] τῆς εὐλογίας.
[g] legitimum nuptiarum tẽpus in maſculis & fœminis.
[h] *dixi ad Nouell. 16. ſ. eod. adde Photiũ 1. c. 9. canon. 15. ſynod. 6. in Trullo.*
[i] *in Trullo can. 15.*
† Diſtinctio canonis 24. apoſt. & Nouellæ 123. *c. 20.* adhibetur, nõ quod uis ob falſum teſtimoniũ clericos priuari dignitate, vt canon 24. voluit: nõ ob falſum teſtimoniũ in criminalib. *Vt d. Nouel.* Periurio itaque ſolo priuantur dignitate, non nudo falſo teſtimonio.
[k] διατάγματα. intelligit Canones, & quidã 24. qui Balſamoni eſt 25.
[l] ἀπογυμνοῦσι *Scrimg.*
[m] *Nou. 123. c. 20.*
[n] ſimilis eſt pœna in Nouella 87. in ſ. ſ.

†*CONSTITVT. LXXVII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

CVM in pleriſque alijs, tum pręcipuè in legum tractatibus reprehendenda obſcuritas [a] eſt. Nam ſicubi alibi, illic certe diſtorto intricatoque dicendi genere vacare, rectèque informari orationem (ni fallor) oportet. Non enim arcana quædam ſanctiones legis ſunt, vt à multitudinis intellectu remotæ eſſe debeant: ſed potius, ſi fieri poſſet, neminem illas [b] latere, neque virum, neq; puerum, neq; mulierem, oportebat. Quippe quod id ad hominum mores in melius conuertendos, communiſque vitę vtilitates vel maximè conduceret. Ob id quum ad difficilem illum legalium capitum locum ſubſtitiſſemus, vbi ipſis verbis, quaſi legislator in eo quid diceret occultare voluiſſet, ita [c] comprehenſum eſt, *Falſarius in maximo delicto ſupplicio capitali afficitur*: quum quale tandem maximum illud delictum eſſe legislator ipſe exiſtimarit, non conſtet, illeque eius rei intellectum non definitum præcidat: euidenter, & definitè illam orationem explanare nobis viſum fuit. Sancimus igitur, vt ſi iſtiuſmodi quædam falſarius conſcripſerit, ex [d] quibus is aduerſus quem falſum ſcriptum concinnatum eſt, mortis pœnæ ſubijciendus ſit: ipſe falſarius pœnæ quam in alium machinari cogitarit, traditus decolletur.

NE AMPLIVS SENATVS-conſulta fiant. †

*CONSTITVTIO ſeptuageſimaoctaua.*

Idem Imperator eidem Styliano.

QVEMADMODVM & in alijs legibus, quę ad communem rerum vſum nihil conferrent fecimus, vt eas tanquam ſuperuacaneas è legum corpore ſubduceremus: ita hic quoque facientes, *eam [e] legem qua Senatui* ferendarum legum poteſtatem facit, à legum quaſi repub. ſecerni ſancimus. Nam quum, ex quo Senatoriam adminiſtrationem Imperatoria Maieſtas ſibi vindicauit, inutilem illam eſſe iudicari debeat: ſi cum vtilibus coniungeretur, & ineptum & ſuperuacuū eſſet.

DE [f] POENA SACERDOTIS Diaconi aut hypodiaconi †, ſi poſt aſſumptum ordinem mulieri in matrimonium iungatur.

*CONSTITVTIO ſeptuageſimanona.*

Idem Imperator eidem Styliano.

QVÆ ſemel Deo dedicata ſunt, ea deinceps auferri non oportere, ſancitum eſt: idq; non ſolum in donarijs, verum multo etiam magis in hominib. qui per ſacrum ordinem diuinæ Maieſtati cōſecrati ſunt, obſeruandum eſt: tametſi (vt multi ſunt hominum lapſus) è ſtatu in quem tanquam honeſtè victuri, allecti erant, peccatum, dominio in ipſos ſuſcepto, exturbet. Non approbantes igitur veteris [g] legislatoris propoſitum, qui ſacerdotem, diaconum, aut hypodiaconum, ſi poſt aſſumptum ordinem mulieri in matrimoniū iungatur, omnino à clericali habitu diſcedere, atque ad profanam vitam reuerti vult: illud decretum irritum facimus. ac verò ſtatuimus, *Vt ab* ordine quem ante nuptias obtinuerint, ſolum recedentes, ſatis tamen pœnarum luere videantur, & nequaquam clericali habitu alióque eccleſiæ miniſterio, cuius quidem vſus illicitus non eſt, iudicio priuentur.

† falſi crimē non ſemper eſt capitale: & ita abrogatur l.22. *in fi. C. de falſis. l. 1. in fi. ff. de falſis.*
[a] obſcuritas legibus inimica.
[b] *l.9. Cod. de legibus.*
[c] *d.l.22.*
[d] Deponens falſum in cauſa capitali, capitaliter punitur. Clarus 5. *ſentent.* §. *falſum* 4. *Verſic.* ex cōmuni opinione refert falſum teſtimonium dicentem dolo, capite puniri: ad ſui defenſionē, arbitraria pœna vel publicatione bonorum & deportatione, ſeu dānatione ad triremes: in pecuniarijs cauſis, plerunq; linguā amputari, aut reū fuſtigari: *V. eundē ibi. Verſ. ſed quæro quæ ſit pœna falſi.*
† & ita abrogatur tit. Codicis de ſenatuſconſult. *lex 9. ff. de legib. & ſenatuſconſultis.*
[e] *d.l.9.*
[f] *V. Balſamonē in c.6. ſextæ ſynodi in Trullo diſtinctio. 32. c. ſi quis eorum.*
† Extenſio eſt Canonis 25. Apoſtol. qui eſt 26. apud Photiū, quo ſoli lectores & cantores vxorem ducere vetabantur. & abrogatio Nouellę Iuſtiniani *6.c.5. Verſ. Si aūt aliquis presbyter.* qua poſt aſſumptum ordinem preſbyter, diaconus & hypodiaconus nuptias cōtrahens ordine priuabatur, fiebatq; idiota. Hac Nou. poſt aſſumptum ordinem ducta vxore, huiuſmodi homines ordine ſuo quidē priuantur: nō tamen clericali habitu & alio in eccleſia miniſterio. [g] *Nou.6.c.5.*

VT PVRPVRÆ SEGMENTA† & particulæ in publicis mercimonijs ſint.

*CONSTITVT. LXXX.*

Idem Imperator eidem Styliano.

HAVD ſcio qua ratione ſuperioris æui Imperatores, quum ipſi toti [a] purpura veſtirentur, inducti fuerint, vti ne [b] qua omnino purpuræ [c] particula venundaretur, ſtatuerent, neq; cuiquam talem colorē vendere aut emere permitterent. Ac ſanè ſi integram [d] venire telā illi prohibuiſſent, aliquam fortaſſe eius faciendi non alienam à ratione occaſionem habuiſſe videri poſſent: at, quod ſegmenta [e] atque fruſtula, quæ vtilitatem atque vſum neque vendenti neq; ementi inconuenientem præbeant, in mercimonijs eſſe prohibuerunt [f]: id verò quàm honeſtam, & quæ ſubditorum inuidentia vacet, illorum iudicio prętendet cauſam? Nam quod aut Imperatoriæ Maieſtatis aduerſetur eminentiæ, aut eam in communem vſum deuocet, quid *quæſo* hinc exiſtat? Nos itaque iſti decreto non acquieſcentes, conſtituimus, *Vt purpuræ* [g] fruſtra atque ſegmina, quæ magnificentiæ ſpeciem aliumue non prohibitum vſum ſubditis præbeant, tam diuendi quàm emi poſſint. Decet enim Imperatoriam Maieſtatem, quum alijs multis modis ſubditos beneficijs afficiat, eorundem magnificentiæ ne inuideat.

NE EX AVRO† ET PRETIOſis [h] lapillis quicquam confieri in vniuerſum nefas ſit.

*CONSTITVT. LXXXI.*

Idem Imperator eidem Styliano.

HANC verò etiam legem [i], quæ mundo muliebri annuliſque exceptis, aliquid aliud ex auro & gemmis conficiendi omnem prorſus facultatem adimit, eiuſdem cum illa quæ de purpura tractat eſſe inſtituti animaduertentes, in eandem quoque cum illa conditionem reponimus. Non enim ſimpliciter ex auri materia quicquam in opificium præberi, ſed ſpecies operum prohiberi oportebat. Quoniam nequod omnino ex auro & gemmis opus confiat vetare, manifeſta id ie ſupra omnes efferendi cupiditas eſt. Iam verò, quod in quacunque re legem tranſgreſſus eſſe deprehenſus, tam grauem pœnam ſuſtinet (centum librarum auri mulctam, quodque huic accedit, capitale ſupplicium dico) vt ea lex non ſummæ immanitatis eſſe putetur, qua ratione deuitabitur? Quantam autem aliam abſurditatē in ſacris theſauris alijſque nonnullis rebus effectus pœnę deſignet, non attingo. *Nos* itaque non ſimpliciter opus aliquod ex auro & gemmis confici, ſed illa opera quæ ſolis Imperatoribus permittuntur, quorumq; vſus magnificentiæ Imperatoriæ Maieſtatis, eiuſq; neceſſitatibus deſtinatus eſt, prohibenda iudicamus. Quaſi ſi quis vel monumentum ſacrum, vel aliud quiddam quod ſuprà priuatam dignitatem & honorem non ſit, conficere poterit, liberam eius faciendi voluntatem habeto.

DE TESTAMENTO Reſignato [k].

*CONSTITVT. LXXXII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

† quæ τμήματα infra *eod.* videtur abrogari *lex Vlt. Cod. de Veſtib. holober.*
[a] *ἀλουργίδα ϛολισάμενοι, Scrimg.*
[b] *l.1. Cod. quæ res Venire nō poſ. l. Vlt. Cod. de Veſtib. holob.* & antea à Cæſare purpuræ vſus interdictus pręterquam Senatorib9, qui in magiſtratu eſſent, *Dion.* 49. & Neronem matronam purpuravſam nō veſte tātum, ſed bonis exuiſſe, refert Suetonius.
[c] *ἀλουργόν π' μέρος.*
[d] *ὁλόκληρον ὕφασμα.*
[e] *τμῆμα δὲ καὶ μέρις βραχεῖα, Scrimg.* Tiberiū poſteriorem Cedrenus ſcribit permiſiſſe purpuræ *διδακτυλίους ὄρνας ἐν ταῖς ϛολαῖς αὐτῶν κόσμου χάριν φέρειν. ὄρνιας* dixit quaſi oras & ornaturas Iſidor. ſegmenta *Vt hic* Liu. 11. ſancitum mulierib. vt aureis ſegmētis vterentur. Arator loquens de pōtificis habitu in exodo pręſcripto, Qui ſegmentatus medijs altaribus adſtat. ſegmēta, limbi ſeu inſtitę *l.23. §.1. ff. de auro: adde Cui. 12. obſerua. 24.* [f] intelligit, vt opinor *l. pen. C. de veſtibus holob.* [g] *τὰ ἀλουργὰ μὲν μέρη καὶ τμήματα.* † videtur reuocaſſe conſtitutionem Aureliani, qua permiſſum fuerat, vt aureis qui vellent & menſis vterentur & poculis, authore Vopiſco. Abrogatur autem lex vnica *Verſ. nulli, Codice nulli licere in frenis.* [h] quales margaritæ, ſmaragdi, & hyacinthi: alijs enim gemmis frena, equeſtres ſellas & balteos ornare permiſſum *d. lege Vnica* [i] *dicta lege Vnica Verſiculo nulli præterea priuatorum liceat exceptis ornamentis matronalibus &c. Cod. nulli licere in frenis.* [k] *περὶ τῆς ἀσφραγίσου διαθήκης παρὰ τοῦ ἄρχοντος Scrimg.* hoc innuit, Teſtamentum non ideo non valere, quod ſigna caſu corrupta ſint: ſi modo de teſtamenti fide teſtium ſubſcriptionibus conſtare poſſit.

QVÆ

QVÆ fortuito quodam caſu contingunt, eorum permulta nondum expenſa criminis nomine notātur: quæ eadem accuratius poſtmodum perſpecta, à nobis abſoluuntur. At quale eſt quod dico? Perſæpe non de induſtria, ſed fortuito aut ferri aut lapidis iactu aliquis læditur. Eo necdum diſcuſſo, qui iaculatus eſt, ſons iudicatur: diligenti autem de eodem examine habito, quare culpetur, nulla iuſta ratio inuenitur. Quamobrem quæ caſu eueniunt, ex circũſtantijs magis quam è rei natura iudicari conuenit. Verũ quorſum hæc dicuntur? Quoniam teſtamentum poſtulante neceſſitate apertum [a], quum interdum deinceps reſignatum relinqui contingat, aut ipſum tempus (quod fieri aſſolet) ſigillum cõſumat, fide quam ſignatum haberet deſtituatur, indeq; incertitudo quædam iſtiuſmodi teſtamento inſidietur: teſtamentis alio modo ad fidem confirmatis ſubuenire viſum eſt, ac iubemus, Vt [b] licet ad fidẽ faciendam illis ſigillum ſaluum non ſit, ſubſcriptiones tamen, vt rata maneant, teſtimonio præſtent. Quemadmodum enim teſtamenta nondum aperta, quanquam (vt fit facile) ſigillum illæſum ſeruatum non ſit, ſubſcriptiones cõfirmant [c]: ſic illa etiam quæ poſtquam aperta ſunt, aut negligentia nõ obſignata manſerunt, aut quibus diuturnitate temporis ſigilla perierunt, ne fide priuentur, dummodo ex ſubſcriptionibus fides illis ſuperſit, iuſtum putamus. Illud porro inſuper ſancimus, vt ſi iudicis ſocordia, ne teſtamentum denuo obſignaretur factum ſit, ipſi in ſocordiæ pœnā duodecim librarum mulcta imponatur.

VT AD TRIENTES VSVRAS PEcunia licitè mutuetur †.

*CONSTITVTIO LXXXIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

SI à Spiritus legibus ita ſe mortale genus regi ſineret, vt humanis pręceptis nihil indigeret, id verò & decorum & ſalutare eſſet: at quoniam ſe ad Spiritus ſublimitatem eleuare, diuinæque Legis vocem amplecti non cuiuſque eſt: ac verò quos huc virtus ducat, numero valde pauci ſunt: bene ſeſe adhuc res haberet, ſi ſaltem ſecundum leges humanas viueretur. Quæ vocantur pecuniæ creditæ vſuræ, vbique à Spiritus decreto [d] condemnantur. Id ſciens pater [e] noſter æternę memorię Princeps, vſurarum ſolutionem ſanctione ſua prohibẽdam putauit. Atqui propter paupertatem res illa nõ in melius (quem tamen finem legiſlator propoſuerat) ſed contra in peius vergit. Qui enim [f] antea vſurarum ſpe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, poſt latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere poſſint, in eos qui pecunijs indigent difficiles atque immites ſunt. Quinetiam ad facile iurãdum, quodq; id ferè conſequitur, ad iuſiurandum abnegandum, id occaſionem præbuit. Breuiter, propter redundantem in humana vita peruerſitatem, non modo non profuit legis virtus, verumetiam obfuit. Quanquam *igitur* ex ſe legem culpare (quod quidem etiam abſit) nequeamus: propterea *tamen* quod humana natura (quomodo diximus) ad illius ſublimitatem non perueniat, egregium illud præſcriptũ abrogamus: ac in contrarium ſtatuimus, vt æris alieni vſus ad vſuras procedat. idque quomodo veteribus legiſlatoribus placuit, ad trientes centeſimæ nempe, quæ [g] quotannis in ſingulos ſolidos ſingulas fœneratoribus ſiliquas [h] pariunt.

VT NEGOTIARI, ÆDIFICAre, muneraque accipere, vrbis magiſtratibus liceat. †

*CONSTITVTIO octogeſima quarta.* [i]

Idem Imperator eidem Styliano.

[a] *Vide tit. ff. teſtam. quem admod. aperi.*

[b] Scrimgerus ita legit, κἂν μὴ τῆς σφραγῖδος ἡ σωτηρία περιέσι τῇ διαθήκῃ εἰς τὴν ἀξιοπιστίαν, αἱ ὑπογραφαὶ δύναιντο προσμαρτυρεῖν, μὴ διαμαρτάνειν τοῦ εἶναι βεβαίαν αὐτήν. qui locus purior extat apud Cuiaciũ 17. *obſeruat.* 33. his verbis, διαθήκη, εἰς τὴν ἀξιοπιστίαν, &c. id eſt, Iubemus etiamſi ſigilla teſtamenti nõ ſuperſint, ſi idoneam fidem ſubſcriptiones teſtamento adhibeãt, ne quid ob eam rem fides teſtamenti infirmetur.

[c] *l. 30. ff. qui teſtamenta facer.*

† & ita abrogatur Baſilij conſtitutio, qua vetitæ fuerant in vniuerſum vſuræ ]. *eod.*

[d] *Exod.* 22. *Luc.* 6. *adde Clar.* 5. *ſent.* §. *Vſuras.* 20.

[e] Vſuræ quomodo interdictæ à Baſilio.

[f] Hic oſtenditur ſatis, in hac hominũ vita vſuras vix prohiberi poſſe.

[g] Obſerua ex hoc loco & ex Anniano *l. 2. Cod. Theodoſ. de Vſur. & Nouella Iuſtiniani* 32. *c.* 1. *ibi in ſingulos ſolidos annuas ſiliquas*, definitionem vſuræ trientis. [h] ὅπερ ἐστὶ κεράτιον ἐν ἐφ' ἑνὶ ἑκάστῳ νομίσματι *Scrimg.* † & ita abrogatur lex vnica *Cod. de Contract. iudic.* diſtinctione adhibita inter vrbanos & prouinciales magiſtratus. Videtur tamen hęc Nou. abrogari à Romano ſeniore *c.* 1. ]. 3: *Harmenop.* 3. *c.* περὶ ἀρχόντων. [i] Harmenopulus 3. *tit.* 3. *c.* περὶ ἀρχόντων *in fine* hanc conſtitutionem facit 40.

QVÆ à ſuperioribus [a] de magiſtratibus regiæ vrbis decreta ſunt (ne videlicet illi neque mobile aliquid, neque immobile emant, neque ad ædificandum accedant, niſi Principis permiſſu: inſuper verò, ne, ſi qua magiſtratus tempore munificentia accedat, hæc rata fiat, extra quam ſi donator finito magiſtratu ſcripturæ auctoritate illam confirmet, aut poſt magiſtratum quinque anni elapſi ſint) hæc, quanquam huius contemplatione, ne vis locum inueniat, optima ratione conſtituta ſint, quia tamen alio etiam modo violẽtiæ viam pręcludere facile eſt, nobis non videntur eſſe neceſſaria. Quocirca etiam abrogata illa eſſe volumus: *idq; ideo* præſertim, quod ex quo tranſgreſſione illorum in dies *magis atque magis* impunita relicta, pœna exerceri deſijt, etiam ante noſtrum decretum nullam vim habuerint. At qua de cauſa illa neceſſaria non ſunt? Quod cuiq; tam pauperi quam diuiti (quum ijs qui apud hanc Vrbem *habitant*, compellare Principem, eique ſupplicare expeditiſſimum ſit) liceat, ſi quam vim ſuſtineat, ne omnino à violẽto magiſtratu conficiatur, precibus à Principe impetrare: adeo vt nulla neceſſitas ſit, vt quemadmodum in prouincijs omni auxilio vacuis, ita etiam in Vrbe, vbi abundè auxilij eſt, hæc adeo exacte requirantur. Sancimus itaque, *Vt ſecundum* præſentem rerum ſtatum tum emere, tum ædificare magiſtratus [b] poſſint, & in ſuſcipiendis quæ ſponte offeruntur muneribus [c] criminatione vacent. quippe [d] quum, qui vim ſuſtineant, quandocunque tale aliquid incidat, his ſupplicando Principi illam effugere integrum ſit. De Prouinciarum autem magiſtratibus illud inſuper ſtatuere viſum eſt, vt pręfectus magiſtratus ſui tempore neque quicquam emat, neque in ſuum vſum extruat, neque denique dona liberè admittat. Alij verò minores magiſtratus, relata ad præfectum re, ipſius iudicio aut remoueantur, aut adminiſtrationem expleant.

VT PATRES [e] QVI NVPTIAS non iterant, vnius liberorum portionem capiant.

*CONSTITVTIO octogeſimaquinta.*

Idem Imperator eidem Styliano.

QVONIAM maritis cum liberis ab vxoribus relictis, quid de donatione propter nuptias ſtatui debeat, non præſcripſimus: illam autem donante conſuetudine præmorientes vxores capiunt, nihil in hoc nos conſuetudinem innouandam putantes ſtatuimus, vt *quemadmodum* hactenus comparatum legibus fuit, mulieribus donatio propter nuptias detur: viris autem, ſi iterum matrimonium contrahant, nihil accipere liceat: ſin prius matrimonium venerentur, in remunerationem huius honorificę voluntatis, ipſis vnius liberorum portio ſecernatur: idque hac ratione, vt ſi illam donationem propter nuptias vel æquet [f] vel exuperet, eo quod aut lucrum, aut *ſaltem* nullum damnum ſentiatur, hac accepta illi contenti ſint: ſi verò non exæquet atque minor ſit, neque de ſuo quicquam dent, neque *è diuerſo* ex mulieris bonis quicquam accipiant.

DE POENA EPISCOPORVM, SACERDOTVM, ET CLERICOrum qui ſe aduocationibus, ſponſionibus, redempturis, alijſve ſimilibus dedunt [g].

*CONSTITVTIO LXXXVI.*

Idem Imperatot eidem Styliano.

QVI à diuina bonitate ad diuinum ſacroſanctumque altare delecti ſunt, hos non modo à peccati turpitudine mundos eſſe, verumetiam à communis vitæ negotijs & moleſtijs vacare decet. Sicut enim alia incontaminati ſacriq; cultus monumenta vulgari contrectatione profanari non licet: ad eundem modum neq; animata immaculati ſacrarij ornamenta communi vſu dedecorari, ſed in quẽ ordinem con-

[a] *d. l. vn.*

[b] Vrbani ſc.

[c] *adde l. 6. §. 3. ff. de off. proconſul. l. 18. ff. de off. præſid.*

[d] Scrimgerus ita habet, ὡς οὐκ ἀπορούντων τῶν ὑφισταμένων τὸ βίαιον, ὁπότε τι συμβαίη τοιοῦτον, εἰς ἀποφυγὴν διὰ τῆς πρὸς βασιλέα ἐπιβοήσεως. Cuiacius verò 17. *obſeru.* 32. τοὺς ὑφισταμένους τὸ βίαιον οὐκ ἀπορεῖν ἀποφυγὴν διὰ τῆς πρὸς βασιλέα ἐπιβοήσεως. eo ſenſu, non deeſſe auxilium his quibus vis infertur, cùm poſſint principẽ inuocare

[e] idẽ de matre conſtitutum fuit, *Nouel.* 22. ʃ. *eod.*

[f] *V. Nou.* 20. ʃ. *eod.*

[g] *Nou. Iuſtin.* 123. *c.* 6 *l.* 17. *Cod. de epiſc. cano.* 6. 19. 80. *apoſt. Phot.* 8. *Nomocanon.* 13.

nem conſecrata ſunt, in eodem conſecrationem puram conſeruare conuenit. Admodum igitur decenter Apoſtolorum præconum Dei decretum epiſcopos, ſacerdotes, & clericos, qui ſe aduocationibus [a], ſponſionibus [b], redempturis [c], idve genus alijs [d] rebus dedunt, ſacro ordine denudat. Qui enim attributam ſibi à ſacroſancto Spiritu dignitatem adeo dehoneſtant, &, quantum in ipſis eſt, ſublimitatem gratiæ deprimunt, merito cuius beneficij magnitudinem non ſentiunt, eo, vt indigni, priuandi iudicantur. Veruntamen quia nunc temporis hominum genus, quam vt ad conſtitutæ à diuinis iſtis legislatorib. viuendi rationis apicem pertingant, imbecillius eſt: non ipſis (ni fallor) diſpliceat, ſi quatenus id delictum omnino venia indignum non eſt, modicam quandam ipſi veniam impertiam. Certè idcirco, non quod contrarium (quod abſit) ſtatuere, ſed potius quod ſacram ſanctionem ſequi, nullaſque illis qui ab illa condemnantur, excuſationum tergiuerſationes relinqui velimus: decernimus, vt ſi aut primarij [e] inferioreſve ſacerdotes, aut omnino clericus quiſpiam, vel præſtando [f] in litibus patrocinio, vel ſpondendo, vel alio ſimili modo de ſui ordinis dignitate detrahant, excommunicentur, & ad aliquod tempus à celebrandis ſacris ſuperſedeant: atque vbi ita pro delicto dignam pœnitentiam egerint, promiſſo facto, ſe ab humanorum negotiorum commercio pro viribus deinceps mundos conſeruaturos, ad ſacra tractanda denuo introducantur. & ſi iterum ijſdem rebus ſe polluere deprehendantur, omnino vt profani & indigni à ſacris functionibus abſtineant.

[a] *συνηγορίαις Scrimger.* Nouell. Iuſtiniani 123. *cap.* 6. prohibet epiſcopum ἢ διοικητὴν ἢ ἐντολέα δίκης εἶναι.

[b] *canon 19. apoſtol. dicto cap.6.*

[c] μισθώσεσιν Scrimg. eodẽ modo Iuſtinianus Nouell. 123. *cap.* 6. vetat epiſcopum & clericum μισθωτὴν τελῶν ἢ ἀλλοτρίων κτήσεων εἶναι, *canon 3. canon 4. Synodi Chalcedonenſis: capit. 16. ſynod. ſeptim. Carthaginenſis.*

[d] ſecularibus *canõ 6. apoſt.* publicis adminiſtrationibus *canon* 80.*apoſtol.*

[e] ἀρχιερεῖς ἢ ἱερεῖς.

[f] διὰ συνηγορίαι *adde Photium* 8. *Nomocan.* 13.

## DE ECCLESIASTICORVM alea [g] ludentium pœna. †

### *CONSTITVT. LXXXVII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

IAM verò qui ſacri ordinis homines aleæ [h] vacant, neque hi rem modica aliqua pœna dignam audent. Quid ita? Nam quum tranquilla mente, animoque à contemplandis rebus diuinis immoto, quantum humanæ naturæ poſſibile eſt, ſummo iſti bono inhæreſcere deberent: è contrario ad iuueniles luſus deproperant. Quos etiam à ſacerdotio ſuccidi, ſecundum diuinum ſacroſanctorum Apoſtolorum [i] decretum, par eſt. Verum quoniam id, ipſum etiam præſcriptum mitigat, vt qui non deſiſtunt, pœnam ſubituros addat: ſtatuimus nos quoque, *vt qui* aleę luſu ſacram ſortem contaminant, in monaſteria relegentur: (quam tamen relegationem triennale [k] tempus finiat) *& quando* delictum ſatis expiatum videbitur, in priſtinum ſtatum reſtituantur. At ſi rurſum in fritillo vane tempus terere inſtituant, tanquam piaculares ex ſacroſancto eccleſiaſtico ſtatu omnino exturbentur, ab eoque profligentur.

[g] *dixi ad l.* 25. *l. vltim.* §. 1. §. 3. *ibi, aut cubicare. C. de epiſcopali audientia lege 3. Codic. de aleatoribus: Nouell. Iuſtiniani* 123. *capit.* 10. *adde* 3. *Ecloga* 2. *c.* περὶ ταβλιζόντων ἐκκλησιαστικῶν προσώπων. *adde Phot.* 9. *Nomocan.* 27.

† Emendat canonem 41. *apoſt.* quo aleatores epiſcopi aut presbyteri penitus deponuntur. Depoſitionis enim loco infligitur triennalis in monaſterium relegatio. [h] *κύβοις, Scrimger. adde d.* §. 3. *ibi, aut cubicare.* [i] *canon* 41. 42. *apoſt.* [k] *vt Nouell.* 76. *ſ. eod.* [l] *adde Nouell. Emanuelis Comneni c.* 2. *j. Balſamonem ad* 7. *Photij* 1.

## CELEBRIBVS QVIBVSDAM IN ECCLESIA VIRIS FESTI DIES conſtituuntur.[l]

### *CONSTITVTIO LXXXVIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

VENERABILI ſacroſanctorum Apoſtolorum decreto (quod promulgatum eſt ad gloriam & honorem ſacratiſſimorum dierum, quibus omnium Domino feriamur, & illorum qui horum ipſorum celebrium legislatorum, aliorumq; victorioſorum pugilum, qui morte ſua impietatem in fugam verterunt, conſecrationem ſignificant) quum hoc quod coniungatur dignum ſit, vt nempe horum diuiniloquorum virorum etiam, qui poſt illos in eccleſia claruerunt, luminariumque inſtar eccleſiæ firmamentum rebus geſtis atque documentis illuſtrarunt, memoria ſolenniter celebretur: nos, quod deeſt, adimplentes, ſancimus, *vt* horum etiam ſacri conſecrationis dies conuenientibus honoribus colantur, quorum hæc ſunt nomina: Athanaſius [a], inclyti ille in principibus Dei ſacerdotibus numinis: Baſilius [b], regium illud eccleſiæ decus: Gregorius, cognomine Theologus [c]: Gregorius [d], dulcis ille & illuſtris eccleſiæ fons: Ioannes, prorſus illud ſpiritus aureum [e] os: vnaque cum ijs Cyrillus [f] & Epiphanius [g], qui præclaris facinoribus gloriaque illis pares ſunt.

[a] Alexandrinus, cuius extat ſymbolũ.

[b] Archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ.

[c] ὁ τῆς θεολογίας ἐπώνυμος.

[d] Nyſſenus fortè. fuit & alius cognomento Thaumaturgus, item & alius Damaſcen.

[e] τὸ πάγχρυσον στόμα intelligit Chryſoſtomum.

[f] Alexandrinus *l.* 3. §. 3. *C. de ſumma trinitate.*

[g] Epiſcopus Conſtantiæ, prouinciæ Cypri.

## NE MATRIMONIA CITRA [h] SACRAM BENEDICTIONEM confirmentur.

### *CONSTITVTIO LXXXIX.*

Idem Imperator eidem Styliano.

QVEMADMODVM adoptionem promiſcuè habitam neglexit vetuſtas, quã tametſi ſine [i] precibus ſacriſq; cęremonijs peragi lege permitteret, non tamen illam ſe paruipendere putabat: ita & abſolutam matrimonij conſtitutionem, dum id citra [k] iam receptam [l] benedictionem [m] iniri ſineret, neglexiſſe videtur. Sed veteribus iſtius voluntatis fortaſſe ratio inueniri poſſit: à nobis verò, quum diuina gratia ad honeſtius multo ſanctiuſq; vitæ inſtitutum iam res comparatæ ſint, neutrum dictorum negligi conuenit. Itaque *quemadmodum* adhibitis ſacris deprecationib. adoptionem perfici præcepimus [n]: ſic ſanè etiam ſacræ benedictionis [o] teſtimonio matrimonia confirmari iubemus. Adeo vt, ſi qui citra [p] hanc matrimonium ineant, id ne [q] ab initio quidem ita dici, neque illos in vitæ illa conſuetudine matrimonij iure potiri velimus. Nihil enim inter cœlibatum & matrimonium, quod reprehendi non debeat, medium inuenias. Coniugalis vitæ deſiderio teneris? Coniugij leges ſerues neceſſe eſt. Diſplicent matrimonij moleſtiæ? Cœlebs viuas, neque matrimonium adulteres, neq; falſo cœlibatus nomine culpam prætexas.

[h] *adde* 4. *Harmenop.* 4. *Nouell. Alexij Comneni cap.* 9. *j.*

[i] χωρὶς εὐχῶν καὶ τελετῆς ἱερᾶς, *Scrimg. adde Nouell.* 24. *ſ. eod. Nou.* 98. *in princip j. eodem.* [k] Imò, non citra benedictionem, vide quæ dixi Nouell. Iuſtiniani 74. *capit.* 4. §. 1. *ibi, ille autem adhibens tres aut quatuor exinde reuerendiſſimorum clericorum, atteſtationem conficiat, &c.* [l] vſu ſcil. [m] νενομισμένης εὐλογίας. [n] *Nouell.* 24. *ſ.* [o] Iubet Leo benedictionem nuptijs adhiberi: quem ritum probat ex adoptionis ſolennibus *d. Nouell.* 24. Illud conſtat, apud Ethnicos, ſacramenta ignis & aquę nuptijs interpoſita *leg. penult. in fin. ff. de donationibus inter vir.* Apud nos verò Deus nuptiarum conciliator creditur *Marc.* 10. coniugia precibus & benedictione cõfirmata fuiſſe apud veteres innuit hiſtoria Tobiæ 5. 7. 8. & Euariſtus refert 30. *quæſt.* 5. *c.* 1. Non aliter legitimum coniugium eſſe, quàm ſi ſuo tempore ſacerdotaliter, vt mos eſt, cum precibus & oblationibus à ſacerdote factis benedicatur. & Tertullianus 2. *ad vxorem:* Vnde ſufficiam, inquit, ad enarrandam tantam fœlicitatem matrimonij, quod eccleſię conciliat & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renuntiant? Concilio Carthaginenſi 4. *c.* 13. conſtitutum, vt ſpõſus & ſponſa in templum deducerentur ad benedictionem ſacerdotis recipiendam. Ambroſ. 9. *epiſt.* 70. Ipſum, inquit coniugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oportet. Scholiaſtes Harmenop. 4. *tit.* 4. negat nudo conſenſu matrimonium contrahi: ita vt niſi ſacrũ Dei verbum fuerit recitatum, neq; nuptiæ conſiſtant, neq; prohibeantur contrahẽtes à ſe mutuo ſeparari. Idem probatur ab Innocentio III. *c.* 4. *extra de ſponſalib.* Illud notandum eſt, proclamationes (quas Banna Langobardico vocabulo appellat *c.* 27. *extra de ſponſalib. c. vlt. de clandeſtin. deſponſ. c. vlt. qui matrimonium accuſare*) in eccleſijs fieri ſolitas. Pompam quidem non requirit in nuptijs. l. 22. *C. de nupt.* ſed tamen eodem titulo, lege 24. dicitur, nõ aliter conditio nuptiarum eueniſſe, quã nuptiarum acceſſerit feſtiuitas. Tridentina ſynodus, *ſeſſione pen.* requirit præſentiam parochi & duorum vel trium teſtium. De clandeſtinis nuptijs dicam ad *l.* 7. *C. de nupt.* [p] ἱερᾶς εὐλογίας μαρτυρίᾳ Scrimger. vt ſuperius dixit. χωρὶς εὐχῶν καὶ τελετῆς ἱερᾶς & δίχα τῆς νενομισμένης εὐλογίας. [q] Non eſt matrimonium, cui ſacrorum benedictio defuit. [r] de tertijs nuptijs v. conſtitutionem Porphyrogennetæ Nouell. prima *c.* 2. *verſ. vt autem j.* [ſ] 3. ſcil. Neocæſarienſis. [t] Tempus aliquod pœnitendi Bigamis & Trigamis imponitur. Illud adijciendum *d. c.* 3. *& c.* 7. *eiuſd. ſynodi*, vetari presbyteros intereſſe nuptijs eius quæ ſecundo nubit. priuabant .n. nonnulli benedictione ſecundas nuptias, *v. Aug. ſer.* 243. *Ambroſ. in c.* 7. *prima ad Corinth. & in* 3. *cap. prima ad Corinth. concilium Literanenſe ſub Alexandro* 3. *tit. de ſecund. nupt. c.* 1.

## VT QVI TERTIVM [r] MATRIMONIVM CONTRAHVNT, ſacri canonis [ſ] pœnæ [t] obnoxij ſint.

*CONSTITVTIO XC.*

Idem Imperator eidem Styliano.

OPORTEBAT nos, quum diuina manu formati menteque ac ratione præditi ſimus, quorundam brutorum præſtantiæ non cedere. Non enim illa imbecillitas reprehenſione vacat, neq; à iuſtis vituperationibus libera eſt: ſed tanto obnoxior, quantum brutali naturæ rationabilis prudentia antecellit. Oportebat (inquam) homines, cum in alijs, tum præcipuè in caſtitate matrimoniali à brutis [a] non vinci. Multa autem brutorum animantium genera [b], coniuge mortuo, perpetuam viduitatem amplectuntur, alteriſque nuptijs priores velut congeſta terra obtegere nolunt. Verum quoniam hanc imbecillitatem turpem non eſſe (quanquam turpiſſima ſit) exiſtimans natura, primo matrimonio contenta non eſt, ſed nullo pudore tacta ad ſecundum etiam procedit: quin quum illam hic ſaltem ſiſtere deberet, non tamen id facit: &, quanquam per ſacrã legem non liceat, à ſecundo matrimonio ad tertium prorumpit: haud dubiè conſtitutam in tertium matrimoniũ pœnam, quod non exerceatur, contemptui habens: idq; eo etiam magis quod ciuilis lex, qua neſcio de cauſa, Spiritus pœnam conſtituentis decreto non conſentiat, ſed hos à reprehenſione porro liberat qui poſt alterum matrimoniale conſortium à matrimonijs abſtinere nolint: idcirco nos quæ Spiritui placent ſequentes, ſtatuimus, *Vt qui* ad tertium matrimonium peruenerint, pœnæ quam in ipſos ſacer canon [c] promulgauit, obnoxij ſint.

*VT CONCVBINAM HABERE NON LICEAT. †

*CONSTITVTIO XCI.*

Idem Imperator eidem Styliano.

NEQVE minus ea lex [d], quæ probroſè cum concubinis immiſceri non erubeſcentibus id permittendum iudicauit, honeſtatem ſuſque deque habuit. Ne ergo hoc legiſlatoris erratum dedecore noſtram remp. afficere ſinamus. Itaque lex illa in æternum ſileto. Ab illa enim nõ modo religionis [e], verumetiam naturæ iniuria ſecundum diuina Chriſtianiſque conuenientia præcepta prohibemur. Et quidem ſi quum fontem habeas, ſobriè inde haurire diuino præcepto moneare: qua ratione, quum puras aquas haurire liceat, lutum tu mauis? Tum tametſi fontem non habeas, rebus tamen vetitis vti non potes. Cæterum vitæ conſortem inuenire difficile non eſt.

DE POENA EIVS QVI ALIQVEM dedita opera excæcauit. †

*CONSTITVTIO XCII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

TAMETSI aliter quàm veteres leges [f] ſanciant, de eo qui alteri violentis manibus oculos effodiſſet, quum ipſe iudicio intereſſet, à nobis ſententia lata ſit: nunquam tamen in legem illam transformare animus fuit. Nonnihil enim miſericordia moti (id quod ipſa res etiam indicat) tunc ita iudicauimus: Quoniam oculi, qui illos amiſiſſet, reſtitui non poſſent, eum qui id damni dediſſet, quanquam qui idem pateretur dignus eſſet, in eandem eſſe cæcitatem conijciendum non putaui: Interim tamen tantam pœnã conſtitui, vt qui oculos eruit, eius ſigna ferat: & cui eruti ſunt, in tanta calamitate adeoque profunda cæcitate ex laboribus eius qui illa ipſum affecit, aliquam conſolationem habeat. Veruntamen, licet ita iudicatum eſſet, ex re iudicata legem facere (quemadmodum dixi) non tamen animus erat. Sed quoniam qui [g] inter ſacra noſtra *officia* relatus eſt, (cuius ego qua ratione poſtulationem reijciam?) illam ſententiam, quod mitis ſit, inter leges collocari petit, quod deinceps, ſi quando tale quippiam incidat, qualiter in præſenti in iniurium pœna cõſtituta eſt, taliter ea res dijudicetur: poſtulato paremus, iudicialeq; decretum legis auctoritate donamus. *Si quis ergo* cuiuſquam viſum læſerit, hunc, ſi vnum oculum ademerit, vno ſimiliter, eodemq; priuari, ac talionis pœnam ſubire iubemus. Si verò ambobus oculis maleficas manus iniecerit, quoniam hic pœnæ æqualitas, neq; cui nocitum eſt proſit, (quæ enim in hoc cæco vtilitas eſt, ſi alius etiam cæcus ſit) neque pœnæ obnoxio, tametſi non immerito, tamen acerbius quam par ſit (quum cæcis nihil miſerius ſit) inferatur: iubemus, ne æquabiliter, ſed diuerſo modo pœna procedat: ita vt & maleficus puniatur: & qui læſus eſt, vtilitatis quiddam ſentiat. Hunc autem in modum legem concipimus: Quicunque amborum [a] oculorum iacturam alicui intulerit, quo ſceleris ſui notam ferat, ipſe vno [b] orbator: Et quoniam ſcelerata manu mutilari ipſum æquum eſſet, pro manus amiſſione beſſe bonorum ſuorum mulctator: eumque in acerbæ vitæ conſolationem, cui eruti ſunt oculi, accipito. Atque ſic cæcus quidem inde quod ad ſuſtentandam vitam ſumptus accipiat, modicum quodpiam calamitatis lenimentum ſentito: ille verò in facinoris ſui pœnam (vt dictum eſt) tum altero oculo, tum bonis priuator, pro manuum mutilatione. Et hunc quidem ad modum, ſi reus diues ſit, pœna procedito. At ſi omnino pauper [c] ſit, atq; in anguſtijs vitam agitet, neque quicquam illi qui ipſius violentia in miſerias coniectus eſt, in compenſationem dare poſſit: ſimilis tum calamitatis & ſocius & particeps eſto, orbatuſque vtroque [d] lumine cæcus viuito. Si qui verò in ſcelere malefico opem [e] tulerint, ſi quidem manus rei admouerint, ſimulque oculos effoderint, eundem ad modum & ipſi puniuntor: at ſi ne vna manus in oculos conijceret cauerint, aliud autem quodpiam auxilium in facinus cõtulerint: his ad corporis verberationem, cute tenus tonſionem, trientiſque bonorum mulctam pœna ſiſtitor. Qui verò cæcitatis auctores ſunt, prædictis pœnis ſubduntor.

*VT SI SPONSA EX ALIO grauida deprehendatur, ſponſalia reſcindi poſſint. †

*CONSTITVTIO XCIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

QVANDOQVIDEM veteres qui de ſponſalibus tractarunt, quo neſcio modo ea de re nõ abſolutè præceperunt, (ſiue quod hoc de quo nunc ſanciturí ſumus, inter cauſas diſſoluendorum ſponſaliorũ comprehendere noluerint, ſiue quod tale quiddam quale in præſentiarum exortum legis promulgationem requirit, tum nondum inciderit) nos, quod hac in parte deeſt adimplentes, ſponſaliorum tractatum ad iuſtam abſolutionem deducimus. Vetus autem conſtitutio [f] ſponſalia dirimit alijs atque alijs de cauſis: ob diuerſam videlicet de religione opinionem, & ſi alter inſaniæ morbo capiatur, ac inſuper ob nonnullas alias, atque harum vtramlibet vtercunque deſponſatorum haberet, ſponſalia diuelli iubet. Quod verò nunc in conſiderationem noſtram venit, ſiue tunc temporis, vti diximus, nondum euenerit, ſiue legiſlatores non euenturum arbitrati ſint, ſiue qua alia cauſa *eius ſilentio prætereundi* fuerit, inter dictas cauſas non commemoratur. Eſt autem iſtiuſmodi: ſponſam quandam furtiuis complexibus ab alio eſſe grauidatam, quum illa interim ſponſalem præ ſe caſtimoniam ferret, ſponſaliorum tempore compertum eſt. Atque hoc quidem illud eſt quod veterib. legibus comprehenſum non eſt. Nos igitur quod deſit adijcientes, decernimus, *Vt non modo* propter diuerſitatem religionis, neq; propter mentis emotionem, aut alias ob cauſas [g]: verumetiam propter hoc, quo nihil magis matrimonio aduerſatur, quos ſponſaliorũ opinio, nõ veritas copulauit, diſiungantur. Quomodo.n. vera ſpõſalia ſunt, in quibus nihil verũ neq; genuinum conſpicitur? vbi meretricium [h] ſe offert ſcelus, vbi cauſæ ſunt diſſidiorum & odij, vbi *animorum* alienatio, (quæ mala *aceruatim* omnia pariter cũ

[a] hinc illud Nanzianzeni τὸ πρῶτον συνοικέσιον νόμος, τὸ δεύτερον, συγχώρησις, τὸ τρίτον, παρανομία. τὸ τέταρτον, χοιρῶδης βίος.
[b] vt turtures.
[c] canon 3. 7. Neocęſarieſ. ſynod. 31. q. 1. c. de his qui Baſilius c. 4. ad Amphilochium, vbi vide Balſamonem.
† & ita abrogatur *ti. ff. & C. de concubinis* lex 13. *ff. de adulterijs & ſimiles*. Olim quidem, conſtate matrimonio, cõcubinam habere non licuit *Nou.* 18. *c.* 5. *Nou.* 89. *c.* 12. §. 5. Cæterũ concubina à meretrice diſcrepat: cõcubina cũ vno tantum peccat: meretrix, cũ multis. *Balſamon ad can.* 26. *epiſt. Baſilij ad Amphilochiũ.*
[d] *ff. & C. de concubinis.*
[e] Cõcubinat⁹ iure diuino reprobatur: *adde Clar.* 5. *ſent.* §. *fornicatio verſ. & imprimis.*
† explicare videtur pœnã talionis, de qua *Exod.* 21.
[f] Moſis fortè *Exod.* 21. aut XII. tabularũ de qua ad eaſdem dixi.
[g] ὁ ἐπὶ τῶν ἐν τοῖς θείοις ἡμῶν ἀποφερόμενος *Scrimg.* fortè intelligit ſacrorum officiorũ magiſtrum.

[a] Qua pœna diues afficiatur, qui ambos oculos alteri effodit.
[b] De pœna vnum oculũ alteri excæcantis. Sic, vnus oculus pro primo furto eruebatur apud Langobardos *l. ſi quis Latro de latronib. in legibus Langobardo.*
[c] Qua pœna afficiatur pauper qui ambos oculos alteri effodit.
[d] De pœna ex cæcationis vtriuſq; oculi. Eadem olim pœna plectebantur ſacrilegi *l.* 11. *ff. ad l. Iul. peculat.* VViſigottorũ lex ſtatuerat, oculos erui patri vel matri, qui ab ortu necẽ geſtati vteri procuraſſet *l. vlt. de excut. hom. part. l.* 6. *Codicis VViſigott. tit.* 3. Locrenſiũ quoque lege lata à Zaleuco adulterum vtroq; oculo priuari oportebat 5. *Vale.* 6. Exempla regũ & principum excæcatorũ pete ex hiſtoricis.
[e] qua pœna afficiatur qui alteri excæcãdo aut manũ aut opẽ aut cõſiliũ tulit.
† videtur reduci quodã modo verſiculus 13. 14. & ſequent. Deuteronomij 22. Seuerior tamen fuit lex Moſis, vt quæ ſponſam ſtupri compertam lapidibus vellet obrui. ſed tamen hæc conſtitutio pertinet ad ſponſam, nedum ſtupri ſed grauidam compertam *v. Harmenop.* 4. *tit.* 1. *c.* περὶ λύσεως μνηστείας. adde quæ ſcripſi *ad l.* 11. §. 1. *ff. de contrahenda emptione.* [f] *l.* 5. §. 1. *Cod. de ſponſalibus.* [g] quod erat conſtitutum *d.* §. 1. [h] hinc colligere poſſis, cum meretrice, niſi reſipiſcat, connubium non eſſe *c.* 1. *c. non eſt culpandus* 32. *quæſt.* 1. *c. inter opera de ſponſalibus c. vlt. de condit. appoſit.*

peregrino alienoque ſemine ſuſcipiuntur) quomodo ibi matrimonialis concordia, quomodo purus ſponſaliſq; eſt amor? Quin vt quiſpiam alterius fœtum ſibi ſubijciat, id verò ratio non patitur. Neq; item iuſtum eſt, vt qui ſpe honeſtæ caſti matrimonij oblectationis ſponſam in domicilium ſuum recipere conſtituerit, ſi illa matrimonij legibus inſultet, & cum [a] alijs laſciuiendo, oblectationis ſpem euanidam ipſi reddat, in meretricia illa facilitate ipſam vxorem agnoſcere debeat.

## *LEGIS † QVÆ DE CONSVLATU [b] agit, abrogatio.[c]

### CONSTITVTIO XCIIII.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVONIAM noſtra legum repurgatio [d] hunc ſibi propoſitum finem habet, vt non modo illa quæ ſubinde rerum ſtatum labefactant, verum etiam quę longo tempore ſilentio obruta, inutilia prorſus, & tanquam propter cariem publico vſu non contrectata eſſe videntur, è legali ſolo deleat: cōſequens eſt, vt & quæ de conſulatu tractat, legem [e], tanquam nihil in præſenti ad rempublicam pertinentem, cū alijs inutilibus legali corpori eximat. Olim quidem conſularis dignitas veneranda erat, venerandoſq; qui ipſam ſubirent & magnificentia præſtantes efficiebat, ac idcirco quib. conſulatum gerere obtingeret, pro honore quē ex dignitate perciperent, remunerari rempub. volentes, liberalia [f] promiſcuæ plebi munera elargiebantur. Ac initio quidem, quantam munificentiam faceret, cuiuſq; arbitrio permittebatur: poſtmodum autem ad certum modum decreto legali circumſcribi illam placuit. Atq; hoc quidem, donec conſularis dignitatis in republica maieſtas floruit, obſeruatum eſſe apparet. Nunc verò, quum qui omnia [g] mutat, temporis curſus, hanc etiam conſularem magnificentiam è priſtina gloria & amplitudine in abiectam ſpeciem transformarit: ac verò qui ad illam procedunt, interdum ſibi non ſufficere, nedum alijs erogare quicquam poſſint: *illam de* conſulatu legem, quam propterea altum ſilentium occupauit, cum alijs inutilib. (vt dixi) fruſtra legalibus conſtitutionibus immiſtam, decreto maieſtatis noſtræ illinc eximimus.

## DE AVVLSA TERRÆ CRVSTA †.

### CONSTITVTIO XCV.

Idem Imperator eidem Styliano.

ANTIQVIORIBVS, quæq; ante natæ ſunt legib. ortus cauſam rerum vſus præbuit. Legiſlatores enim quæ in communē vitam incidunt, ſingulatim accuratè excutientes, pro illorum natura leges condunt. Quoniam ergo ex [h] communis vitæ negotijs (quemadmodum diximus) legibus naſcendi occaſio exiſtit, & verò propter nouam quampiam rem, quæ ad veterem aliquam legem referri non poteſt, lege [i] opus eſſe videmus, quo videlicet ſi alias quoque iſtiuſmodi aliquid contingat, id legitimè dijudicari poſſit: legem pro conditione rei in rerum naturam producimus. At quę illa lex? Quando diuerſi dominij agri ſibi inuicem adiacent, & alter ſuperiore loco [k], alter autem depreſſo [l] & campeſtri ſitus eſt, ſi [m] ſuperioris & impendentis agri pars aliqua cum arboribus, aut ſine his prærupta, ſubiacentem [n] agrum, qui ruinam excepit, obtegat, ne ſimpliciter neque inferioris agri dominus auulſam materiam tanquam ſuam vēdicet: neque ſuperioris dominus, qui auulſionem paſſus eſt, de finium qui ruinam incidentem exceperunt, dominio, illi litem moueat: ſed inferioris agri dominus ſuperioris [o] agri domino, ſi diuulſam materiam (ſiue arboribus conſita ſit, ſiue [p] illis vacet) recipere & aſportare velit, id permittat: ille autem optionem habeat vtrum receptam ſuiſque finibus reſtitutam materiam, quemadmodum ſolet obtinere: an verò (ſi illam aſportare nolit) prorſus tum à materia, tum à finibus qui illam exceperunt, abſtinere: neque agri qui diuulſa ſuſcepit, domino negotium faceſſere velit. Quemadmodum enim quum domus ſibi inuicem adiacent, & alterius ſtructura ſupereminet, alterius humilis & preſſa eſt, ſi eminentiorem domum in humilem collabi contingat, *dominus eius* aut [a] delapſam materiam recipere, aut, ſi id nolit, illa prorſus cadere: neq; domus quæ caſum excepit, dominum inquietare *debet*, ita hic quoq;, eo ad conſequentiam & exemplum tracto, idem cuſtodiri & obſeruari conuenit.

[a] *facit Nouel.* 31. S. *eod. Nou. Iuſtin.* 22. *cap.* 15. §. 2. *Nou.* 117. *c.* 8.
† *Nouel. Iuſtin.* 105.
[b] & miſſilib.
[c] adde Nou. 47. & 78. S.
[d] ἀνακαθάρσις. hoc ſatis innuit, Leonem authorem eſſe τῶν βασιλικῶν repetitæ prælectionis, ſeu ἀνακαθάρσεως.
[e] *d. Nou.* 105. & *ſimiles.*
[f] φιλοτίμους δωρέας, miſſilia intelligit.
[g] Tempus omnia mutat.
† περὶ τοῦ ἀποκαθέντος ὑπερξείου τόπου *Scrim.* ὑπέργειος τόπος, qui & infrà ὑπερκειμένη χῶρα & ὑπερκείμενος ἀγρὸς, ὑπερτιθέμενος ἀγρὸς, locus eſt ſiue ager ſuperior, cui ὑποκείμενος opponitur, de quo lex 1. §. 22. §. 23. *ff. de aqua & aquæ pluuiæ.* Reducitur ergo dicta lex 7. 8. & 6. *in pr.* & §. 1. §. 2. *ff. de damno.*
[h] leges vnde oriantur.
[i] videtur Leo ignoraſſe legem 9. §. 2. ibi, ſi ex fundo tuo cruſta lapſa ſit in meum fundum *ff. de damno.*
[k] ὑπερκειμένην ἔχοντος χώραν.
[l] τοῦ δ' ὑποκειμένου.
[m] ἐὰν ὁ ὑπερκείμενος ἀγρὸς. [n] τὸν ὑποκείμενον τὸ ῥῆγμα δεξάμενον ἐπικαλύψῃ. *Scrimger.* [o] τοῦ ὑπερτιθεμένου ἀγροῦ. [p] εἴτε φυτῶν ἐρήμη.

## DE SEPVLCHRO VIOLATO. †

### CONSTITVTIO XCVI.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVÆ delicta ſola animi nequitia committuntur, nullaq; naturali neceſſitate excuſari poſſunt, his neque [b] venia tribuenda, neque inferendæ pœnæ effugium concedendum eſt. Quæ verò non omnino à malitia procedunt, ſed mixtam [c] naturæ violentiam habent, his vtique ab illis qui propoſita ſibi naturæ vi iudicare volent, venia non denegabitur. Ex hac ego ratione ciuile, ſacrumque decretum, dum de ſepulchrorum perſcrutatoribus ſtatuunt, ſibi mutuo non contradicere conijcio. Ciuilis nanq; lex [d], malam voluntatem tantummodo intuens, negata prorſus venia, id delictum punit [e]: ſacra [f] verò (ad paupertatem, quæ humanam vitam miſerè vexat, ſæpeque preſſos non audenda audere [g] cogit, ni fallor, reſpiciens) pœnam in deprehenſos non conſtituit. Nos itaque ad vtrumque decretum nos accomodantes, ac, quoad fieri poteſt, pœnam atque veniam inter ſeſe coniungentes, ſancimus: *Vt qui ſemel* duntaxat id auſi fuerint, leni miſericordiq; ſententia feriantur: qui verò ex clementia illa iterum peccandi occaſionem rapiunt, nec inde prudentiores facti à malitia deſiſtunt, nullis præcibus admiſſis pœnam ſuſtineant. Illa autem in dorſi verberatione [h] criniumque [i] tonſione conſiſtet.

## VT IN [k] CONTESTATIONE litis, & magiſtratuum [l] initio iuretur. †

### CONSTITVTIO XCVII.

Idem Imperator eidem Styliano.

TAMETSI lex quæ in magiſtratuum initio [m], litiumq; conteſtatione [n] iurandum præcipit, diuino iuſſui, qui iuſiurandum prorſus euitandum pręſcribit, aliquo modo contradicere videatur: tamen ſi quis verborum mentem perſpiciat, non in contrarium illam rogatam eſſe, ſed è diuerſo iuriſiurandi ſuſceptione idem quod eius prohibitione ſacra lex [o], efficere conari deprehendat. Etenim hæc quidē, quo mendacio prorſus viam præcludat, in vniuerſum [p] iurare vetat: illa [q] verò, dum hoc ipſum vult, ad fugandū mendacium iuſiurandum in auxilium aſſumit. Quapropter nobis non in verborum formam, ſed propoſitum illorum finem cogitationes adigentibus, non aſpernari ciuile decretum, tanquam [r] cum diuino & Domini noſtri mandato pugnet: ſed tanquam eodem vergat, illi honorem conſeruare viſum eſt. Cæteroquin etiam hoc ſentimus, Domini iuſſum non ſimpliciter admoderanda communis vitæ negotia, ſed ad conſtituendum illis qui ad beatam illam ſublimitatem aſcendere deſiderant, in perfectiorem rempublicam gradum eſſe promulgatum. Cuius ſane generis nonnulla etiam alia ſunt, vt hoc [ſ], *Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, quid eſuri ſitis. & ne reponatis theſauros in terra.* & cætera quæ eodem dicta ſunt. Hæc.n. & ſimilia ſeorſum perfectioribus

[a] *l.* 3. *inf. l.* 8. *l.* 9. *ff. de damno.*
† & eius delicti pœna in tonſuram & fuſtuarium mutata, cum olim criminaliter & pecunialiter de eo ageretur *l.* 8. *l.* 9. *ff. de ſepulchro violato.*
[b] Quæ conſulto conſilio fiunt delictis, venia aut indulgētia dari non poteſt.
[c] ἀλλ' ἔχει καὶ τινα μίξιν φυσικῆς τυραννίδος.
[d] *l.* 8. *l.* 9. *ff. de ſep. violato.*
[e] criminaliter & pecuniaria pœna *d. l.* 9. *Phot.* 9. *Nomocan.* 27. & 13. *c.* 23. *vbi Balſamon huius conſtitutionis mentionem facit.*
[f] *V. Petrum Gregoriū* 33. *ſyntagm.* 14. 15. 16.
[g] Magna paupertas opprobrium, iubet quiduis facere & pati.
[h] Sepulchri violator per fuſtuarium & tonſuram punitur *vt hic Balſamon* 13. *Nomocan.* 23. Baſilius epiſtol. ad Amphiloch. 66. vndecim annis priuat cō munione: ad de Nyſſenū epiſtola ad Lytoium epiſcopum Mitylenes *c.* 6. 7. 8.
[i] καὶ τειχῶν ἀφαιρεθήσεται κουρᾷ adde *Nouell.* 96. S. *eod.* & 105. J.
[k] ἐν ἀρχῇ τῆς δίκης eandem vocat *δίκης σύστασιν inf. eo. v. Nou.* 49. *c.* 3. [l] καὶ εἰς τὸ προβληθῆναι ſic infrà ἐπ' ἀρχῶν προβολαῖς. † & ita conſeruatur titulus Codicis de iureiurando propter calumniam. *Nouell.* 49. *c.* 3.
[m] ἐπ' ἀρχῶν προβολῆς. [n] δίκης συστάσ. [o] *Math.* 5. *verſic.* 34. [p] *d. verſ.* 34. [q] ciuilis ſcilicet. [r] Lex ciuilis de iureiurando non pugnat cum lege diuina. [ſ] *Matth.* 6. *verſic.* 25.

deman-

demandantur. Ea propter nos ciuili legi ſuam vim (quomodo diximus) imminutam conſeruantes, ſancimus, *Vt qui magiſtratum* ineunt, litémve conteſtantur[a], ſeueritatem mendacio prælaturos, nec vllo modo recta via declinata, in obliquam fraudis ſemitam conceſſuros, iureiurando affirment.

## DE POENA EVNVCHORVM SI VXORES DVCANT.

### *CONSTITVTIO XCVIII.*

Idem Imperator eidem Styliano.

REGVM ortus, tum vt reſpub. rectè cōſtituatur, hunc ſibi finem proponit, tum interdum naturæ iniuria affectæ auxilium offert. Iuſtum eſt ergo, vt nunc etiam de hac ſpecie, an eunuchos in matrimonium coniungi liceat, in quæſtionem ducta, lex enaſcatur. Sed priuſquam illa proponatur, rem examinare, & an iſtiuſmodi coniunctio matrimonium appellari poſſit: imò an omnino quæ in matrimonio peraguntur, (quæ ſunt ſacræ[b] preces, ſacrificium, carnalis[c] oblectatio ac voluptas, & quæcunq; in matrimonio fiunt) fas ſit in illa perfici. Sacerdos igitur ad imitationem[d] cæleſtis à Conditore (qui ſexus ad[e] multiplicationem copulauit) pronunciatæ benedictionis[f], verba ſacra effatur. Humani autem ingenij voluptas & lætitia ad[g] genialis complexus &[h] vtriuſque ſexus fœtum reſpiciens, progreſſum facit. Sponſorum enim parentes[i], dum ſe viſcerum ſuorum viſuros fœtum, & ſponſi ipſi, dum ſe in lucem edituros generis ſucceſſores ſperant, multiplici voluptate perfunduntur. At hìc nihil tale ſubeſt. Quali enim cum oblectatione *illi*[k] conueniant: quale[l] ſacrificium[m] *eorum* aggregationem ſtabiliat? Quum autem illorum coniunctio adeò omni oblectamento vacet, & conſecrationis, ſacrificiorum, benedictioniſq; adeo non capax ſit, quomodo in ipſos matrimonij appellatio quadrabit? Imò quomodo non aliqua quæ nefarijs[n] debetur idque ex lege ipſos pœna ſequetur? Atque *quòd ne ab initio* quidem matrimonium vocari poſſit, breuiter ita dictum ſit. Sed magis exactiuſque rei indignitatem oratio exploret. Rerum conditor quum initio marem & fœminam conſociaret, ad largum quod inde extiturum eſſet, incrementū reſpiciens, conſociationem illam faciebat[o]. Quin & naturæ (quæ tanquam famula, quantum poteſt, à Conditore tradita præcepta obſeruat) vt in hoc matrimonij conſuetudo ineatur, quò[p] ſobolis procreatio procedat, quoad quidem ab ipſa tale miniſterium Conditor præſtari velit, propoſitum eſt. Si igitur vel hìc quod naturæ Conditor, ipſaq; natura voluit, apparet, quod prohibendum ducimus, ne prohibeatur: ſin minus, (vt certè nihil iſtiuſmodi eſt, ſed contraria omnia, & nulla ad implendam Domini voluntatem vis, & eius generis quiddam quod natura non agnoſcat) quare non omnibus modis prohibebitur? Quòd[q] ſi quis contentionibus gaudens, dicat, ſi propter ſterilitatem eunuchi à coniugio ſecludūtur, multis etiam alijs coniugium interdici debere, quum non omnes quicunque in coniugium coeunt, fœtificos ſe præſtent: ad contentionem in promptu eſt reſponſio[r], quòd tametſi nullus ex ijs fœtus gignatur, non tamen in hoc congregati ſint, ne quam communi vitæ vtilitatem coniugalis[ſ] copulæ adferant: quum potius contra procreandorum[t] liberorum deſiderio congregatos conſtet, quos effectum deſiderio reſponſurum opinantes in euētu ſpes fefellerit: hìc verò vt tale aliquid dici poſſit, permultum abſit, quum qui ad peregrinam[u] illam commiſtionem conuenerunt, liquido ſcientes ſe ſteriles[x] ac ad gignendum inutiles conuenire, naturæ quaſi inſidiati ſint. Ac ſanè ob hoc dumtaxat odio etiā ambo digni ſunt: mulier, quòd quum coniugalis conſuetudinis cupida fœcundo ſe iungere potuiſſet, infœcundum & ſterilem prætulerit: eunuchus vero, quòd vt in vanum Dominus benediceret, impotentia ſua effecerit. Si[a] quis porrò fundum ex quo alius aliquis fructus metat, vaſtet & incultum relinquat, an hunc tanquam malum atque pernicioſum odio habebimus, eiúſque ſi fieri poteſt inſtitutum reprimemus: illi verò, qui fundum ex quo ratione præditum germen pullulet, deſolat & inutilem reddit, tanquam nihil indignitatis committat, id facere permittemus? Et ſanè quid quiſquam dicat? Sed[b] Paulus (inquiunt) ait[c] *Matrimonium contrahere quam*[d] *vri ſatius eſt.* quapropter naturalis feruoris contemplatione coniunctio prohiberi non debet. Sed[e] tu qui Paulum laudas, ad Pauli verba attende. Matrimonium contrahere[f], inquit, id eſt, per matrimoniale commercium cum muliere coniungi. Si igitur tua cum muliere commiſtio, conſociatio matrimonialis, & benedictione quæ in matrimonium coëuntib. debetur, digna eſt, matrimonium illam nomina, & obſerua vxorem: ſin ne tantillæ quidem benedictionis vnquam capax fueris (quæ enim aut qualis conſecratio in ijs qui ſimul contra Conditoris decretum, ſimul contra naturæ legem coniunguntur, locum habeat?) quid Paulum in approbationem cœlibis[g] tui & peregrini[h] matrimonij pertrahere audes? Ad hoc verò, ſi qui[i] ipſis naturalem & propriam marium potentiam exſecant, hoc conſilio id faciunt (tametſi vitioſè, ac quadam in Deum rebellione id faciant) ne amplius viros ſe exhibere queant, ſed quantum ad libidinis ſtimulos attinet prorſus elangueſcant, cubiliſque[k] fidi & in quos ſuſpicio non cadat, cuſtodes ſint, (quod ſanè ipſe vocis[l] ſonus promittit) quomodo in hoc non iuſtam aduerſum ſe indignationem cudent, quòd non ſolùm inimicam[m] naturæ voluntatem capeſſant: verumetiam illis qui licèt malitioſè, quomodo tamen ipſis videretur, vtiles illos reddere ſtudio habuerunt, aduerſari deprehendātur? & quum nouum[n] atque peregrinum ſexum repræſentent, non tamen ſe neque initio attributæ naturæ, neque qua transformati ſunt, malitioſæ arti accommodent? Propterea ſancimus, *Vt ſi quis* eunuchorum ad matrimonium procedere comperiatur, & ipſe ſtupri[o] pœnæ obnoxius ſit: & qui ſacerdos iſtiuſmodi coniunctionē profanato ſacrificio perficere auſus fuerit, ſacerdotali dignitate denudetur.

## VT QVI IVSIVRANDVM DEFERT, prior† de calumnia iuret.

### *CONSTITVTIO XCIX.*

Idem Imperator eidem Styliano.

QVAECVNQVE ad rectè cauendum ſpectant, quæcunque ad bonos mores pertinent, hæc & ſingulis & vniuerſæ reipublicæ, quæ à me adinuenienda, dūmodo poſſim, aut ab alijs inuenta in publicum vſum deducenda petant & contendant, in medium pono. Ac idcirco ſupra alias hæc etiam lex, quæ eum qui aliquem ad iurandum adigit, ſe[p] nullo dolo malo, neque faceſſendi negotij animo, ſed, vt rei cuius ambiguitate ratio ipſius æſtuat, veritatem cognoſcat, iuſiurandum exigere, prius iurare iubet: quum velut diſperierit, quæ reuiuiſcat digna viſa eſt. Quum enim id decretū rectè veterioribus placuiſſet, recentiores eius cautionem negligentes, delato iureiurando, à quo exigitur, hunc id ſubire volunt: qui verò exigit, de eo nihil ſoliciti ſunt. *Statuit igitur noſtra* Maieſtas, vt ſecundum veterum[q] legiſlatorum decretum iuramentorum forma ſeruetur: & qui ab aduerſario auferre iuſiurandum conatur, quam fidem ex alijs quærit, de moribus ſuis prius ipſe præſtet: quòd nempe non dolo, ſed neceſſariò & ineuitabili de cauſa ad

[a] Cuiacius *ad Nouellam Iuſtiniani* 49. colligit ex hoc loco, Iuramētum de calumnia nō eſſe de qua cumq; re, ſed de litium cōteſtatione tātum. & dari in cauſis ciuilibus tantum non in criminalibus, vt hac Nouella cōſtat & 107. j. nam in criminalib⁹ ſufficit inſcriptio. Fridericus tamē *conſtitut. de pace tenenda, et de incendiarijs,* id etiam exigit in cauſis criminalib⁹, non (vt plerique opinantur) etiā Henricus lib. 2. legum Langobardorum cuius conſtitutionē retulit Honorius *ca.* 1. *de iuramento calumniæ.* Neque.n. hoc dicit Hēricus, Clericos neque in ciuili, neque in criminali cauſa iurare de calumnia, ſed nullo eos modo, vlla in cauſa iurare.

[b] οἷον εὐχὴν ἱερὰν ἢ τελετὴν &c. *v. Nouell.* 89. ſ. *eod.*

[c] ἢ ἀνθρωπίνην τινὰ τέρψιν καὶ θυμηδίαν.

[d] Ritus cōiugibus benedicendi ab inſtitutione diuina deſumptus.

[e] *Geneſ.* 1. *Verſ.* 28. & *c.* 9. *Verſ.* 1.

[f] εὐλογίας formulam illam intellige, *Creſcite & Multiplicamini.* [g] πρὸς τὸ τῆς γεωργίας τέλος ἀφορῶσα. [h] καὶ τοῦ γένους ἑκαστὴν τὴν βλάβην *Scrimger.* ἑκάστου τὴν βλαστὴν. *Agyl.* [i] ſincera voluptas coniunctionis matrimonialis in quibus conſiſtat. [k] Eunuchi ſc. ſpes procreandi deeſt Eunucho. Eius itaque coniunctio, præcipua coniunctionis voluptate deſtituitur. [l] quaſi dicat, vana & irrita erit precatio & formula, Creſcite & multiplicamini, ſi Eunuchi nuptijs benedixeris. [m] moris.n. erat ſacrificiū fieri *v. Nou.* 89. ſ. *eo.* [n] Eunuchi matrimoniū quaſi nefariū eſt. [o] *Geneſ.* 1. *Verſ.* 28. [p] Iſq; matrimonij finis præcipuus. [q] Ratio prima dubitandi ea eſt, Si propter ſterilitatem Eunuchi coniugio arcētur, ergo & ſteriles & ſenes. [r] Reſponſio ad obiectionem. [ſ] τῆς γαμικῆς γεωργίας. [t] παιδοποιίας. [u] ἔκφυλον μίξιν. [x] ὡς ἄγονοι καὶ ἄκαρποι.

[a] Cōparatiō elegans.

[b] ſecunda dubitādi ratio.

[c] 1. *ad Corint.* 7. *Verſ.* 9.

[d] Sententia eſt elegans: vt mirū ſit Tertullianū *lib. de Monogamia* Didonē cōmendare qđ ne ſecūdas nuptias experiretur, maluerit vri quā nubere. Vri cum dicit, alludit ad fabulam Didonis:

[e] Reſpōſio ad ſecundā obiectionem.

[f] Matrimonium contrahere ſeu γαμῆσαι, quid Paulo.

[g] ἀγάμου γάμου.

[h] ἐκφύλου γάμου.

[i] de his qui ſe ipſos caſtrant.

[k] καὶ τῆς εὐνῆς φύλακας Alludere videtur ad veterem morē, quo caſtratis regij cubiculi cura demādabatur *l.* 4. *Co. de præfect. ſacri cubiculi.* Ambroſius 5. *epiſt.* Gallic⁹ præpoſit⁹ cubiculi, Eunuchus regius. Socrates VI. Εὐτρόπιος γὰρ εὐνοῦχος πρεσβὼς τοῦ βασιλικοῦ κοιτῶνος. Euagrius 4. οἱ τοῖς βασιλικοῖς ἐξυπηρετούμενοι κοιτῶσι οὓς εὐνούχους ἡ συνήθεια καλεῖ. adde Claudianum in Eutropio.

[l] εὐνοῦχοι, τῆς εὐνῆς φύλακες, *vt hic:* vel παρὰ τὸ εὐνοεῖν, quòd ſint beneuoli & fidem ſeruare maritis didicerint Epiphan. 2. contra hæreſes. Phauorinus παρὰ τὸ εὖ νοῦν ἔχειν, quòd mentis compotes eſſe exiſtimentur: id eſt quod venereis abſtineant, quæ veteres ἀνόητα dixerunt. [m] Caſtrantis ſeipſum voluntas, naturæ inimica. [n] καὶ ξένον τὸ γένος ὑπάρχουσι. [o] Eunuchus vxorem ducens, pœnæ ſtupri obnoxius. † reducitur lex vetus 34. §. 4. *l.* 37. *in f. ff. de iureiurando: l.* 9. *Co. de reb. credit.* [p] οὐδὲ ἀπὸ γνώμης δηλονότι κινουμένης *Scrimg.* δολιότητι κινουμένης *Cuiac.* 17. *obſeruat.* 32. ſic & j. *Nouell.* 107. δολιότητι γνώμης, quod eſt dolo malo, malitia mala. [q] *v. d.* § 4. *d. l.* 37. *d. l.* 9.

[a] Ratio decidendi.

deferendum iuſiurandũ procedat. Exiſtimo [a] enim, quum ambo ita ad iurandum adigentur, aut dilucidiorem in iuramentis extituram veritatem, aut hos aliquo modo reprimendos, neque tam promptè alacrique greſſu atque nunc progredi videntur, ad deferendum iuſiurandum proditur os.

## DE SERVIS QVI LIBERIS IN MAtrimonium coniunguntur †.

† & eorũ ſtatu ac pœna.

### CONSTITVTIO C.

Idem Imperator eidem Styliano

[b] ſumitur. n. in dubijs, cauſarum benignior interpretatio.
[c] id eſt quod rarò.
[d] Cõparatio.

LEGES, quia ex benigno [b] iudicio prognatæ ſunt, bona ſua ordinatione & moderamine ijs etiam controuerſijs quæ non admodum crebrò [c] in res humanas incidunt, auxilium ferre inſtituunt. At verò quum tantæ benignitatis ſint, quomodo non longè magis eorum quę in hominum vita aſſiduè verſantur, curam ſuſcipient? Si enim [d] medicus quiſpiam ijs quæ minus angunt curam adhibeat, quæ verò magis angunt negligat: id quod minus angit, non per peritiam & prudentiam curare videatur? Eapropter legum dignitati plus maieſtatis attribuentes, quod hactenus ex [e] conſuetudine dijudicatum eſt, de ijs nempe qui ex inæquali fortuna (libera videlicet & ſeruili) amore inſtigante in matrimonium coniungi contendunt, in legem includimus: ac ſancimus, *Vt ſi homo* liber ſeruilis perſonæ nuptias ſectetur, ſub duplici hac conditione matrimonium ineatur, vt is aut ęqualem cum ſeruili perſona, cui per amorem aſſociatur, fortunã ſuſcipiat, aut pretium, quo illa ſeruitute liberata in libertatem perueniat ſoluere promittat. Atque hoc quidem, tanquam inæqualis matrimonij arrham quandam, eum qui conſuetudinis ſocietatem cum ſeruili perſona init, perſoluere oportebit. Statuimus verò etiam, *ne domini hac in* re ſe inhumanius gerant: &, ſi perſona quæ ſeruũ in matrimonium delegit, ſeruire malit, *Vtriuſque* ſeruitus domini [f] morte terminetur: eáque vbi inciderit, cum [g] liberis, ſi quos ipſis matrimonium largitum eſt, dimittantur liberi: ſin in ſeruitutem non conſentiat, neque in promptu habeat vnde precium plenè perſoluat, libertate per vim mulctetur: ſed ſeruiens apud eundem dominum, mercede quotannis binis ſolidis æſtimanda, ſeruitutem tot annis duret quot pacto precio in plenam ſummam deducto dominum ſatis pro ſeruo accepiſſe, neq; iuſtam cauſam ad detinendum amplius habere, ſunt oſtenſuri.

[e] Ex conſuetudine lex.

[f] *Nouell.* 101. ꝉ. *eod.*
[g] *facit lex* 3. *ff. de liberali.*

## DE SERVIS CONIVGIBVS [h], SI ALter illorum libertate donetur.

[h] περὶ δούλων ἐν συντροφίᾳ ὄντων *Scrimger.*

### CONSTITVTIO CI.

Idem Imperator eidem Styliano.

NON ſolùm quod inter perſonam liberam & ſeruilem ab initio contrahitur matrimonium, ſed quod communiter in ſeruitute degentes in pari fortuna contraxerunt, hoc etiam, altero illorum fortè à domino libertate donato, altero verò in ſeruitute retento, ad inæqualitatem redactũ eſt, ex iſtiuſmodi cauſa valde contentioſas ambiguitates & quæſtiones, eo quòd lege diiudicatum non ſit, perſæpe exſuſcitare conſpicitur. Quum itaque hoc quoque à noſtra Maieſtate lege conceptum, conuenienter diſtingui deberet, hanc per quam rectè dijudicetur legem accepit. At verò quæ illa lex? Iubemus, *Vt ſi ſeruitute* liberata perſona coniunctioni eius quæ in ſeruitute relicta eſt acquieſcat, ſecundum formam [i] de perſonis liberis & ſeruilibus matrimonio coniungendis lege comprehenſam matrimonium indiſruptum maneat. Oportet enim, vt aut datam ſibi libertatem non vſurpet, & æqualiter cum altera libertate non donata ſeruitutis iugum ſubeat, donec [k] extremus vitæ dies domino obueniat: aut, ſi quidem libertatis dignitatem exuere nolit, pro adiuncta ſibi perſona precium ſe ſoluturam promittat. Cæterum ſi hoc negliget, & ex libertate ſua occaſione arrepta, in ſeruitute relictã perſonam in ſuæ vitæ ſtatum abripere conetur, non ſolùm non hac arrogantia quicquam efficiat, neque alteri libertatem donandi poteſtatem habeat: verumetiam ipſa quam libertatem nacta eſt, hac excidat, rurſumq; ſeruitutis iugo collum ſubdat: vtpote quæ ingrato animo benignæ domini ſui ac beneficæ voluntati iniuriam intulerit, eiúſque iudicium, quod reuereri & venerari debebat, tanquam per rebellionem contemnere cogitarit.

[i] de qua dictum eſt *Nouell.* 100. ſ. *eo.*
[k] *d. Nouell.* 100.

## DE PRÆDIIS MARITIMIS AD REMOras [a] piſcatorias conſtituendas ſeorſum non ſufficientibus: & vt inuitus etiam ad ſocietatem adigatur.

[a] περὶ ἐποχῆς κατάστασιν *adde Nouell.* 57. ſ. *eod. Nouell.* 103. 104. ꝉ. *eodem.* ἐποχὴ *retenue.*

### CONSTITVTIO CII. †

Idem Imperator eidem Styliano.

† hæc conſtitutio ex earũ genere eſt, de quibus antẽ Leonẽ nihil conſtitutum fuerat. Hoc autẽ innuit, Vicinos inuitos cogi ad ſocietatẽ remorarũ piſcatoriarũ. vt hæc conſtitutio vice ſit exceptionis ad legem 26. §. 4. *de cõdict. indebiti:* & alias, de quibus dixi *ad l. Vlt. Co. comm. diuid.*

MVLTA [b] cumulatim bona mortalium vitę cõfert prudenter & cum ratione inſtituta rerum communio. Etenim qui viribus valet, ſi cum altero, qui ſimiliter viribus valeat, communicet, longè præſtantiores atque vtiliores eius vires fuerint: & diuites, ſi diuitias communes faciant, maiorem ex diuitijs voluptatem capiant: denique ſi paupertas premat, operarum communio conſolatione, qua paupertatis acerbitas mitigetur, non indigebit. Verùm quum adeò commoda atq; vtilis in communi vita communio & ſocietas ſit, mirabilis quædam hominum animos ſubiens prauitas, nedum alijs ad vtilitatem impedimento eſt, verum etiam qui ipſam fouent, vt rebus ſuis noceri, quàm vt inita cum vicinis ſocietate ipſis aliquid lucri accedat, permittere malint perſuadet. Ac tale quiddam certè de nonnullis audiuimus, qui quum maritima prædia habeant, quæ per ſe non ita multum lucri adferant, cum vicino autem & adiacente prędio communicatione coniuncta, vberiorem vtilitatem reddant: ſocietatem inire, neq; illa cum vicinis prædijs commiſcere (qua ratione ambo aliquid lucrari poſſent) per malignitatem nolunt: ſed cõtrà, ſeipſos etiam damno afficere malunt, dummodo [c] vicino nocumento ſint. Verum enimuerò tametſi damnũ ſuum tales agnoſcere nolint, ſuáque malè adminiſtrantes, vtilitatem per improbitatem negligant, tanquam immanes belluæ, vt propinquos lædant, in ſua vulnera proruentes: non tamen iſtiuſmodi malignitatem in communi vita Imperatoria noſtra maieſtas inſoleſcere patitur: neque quia illi vtili cura digni non ſunt, auxilio vacuos relicturi ſumus. Quare ex parte aliqua ipſis, præcipuè verò vicino, quem iſta inhumanitas malè torquet, proſpicientes, ſancimus, *Vt ſi iſtiuſmodi* prædia mare verſus non adeò ſingula lata ſint, vt ſepti remoratorij cõſtituendi ius habeant [d], eius iuris conſequendi cauſa communione coniungantur: quò per iſtiuſmodi communionem domini ex ſuis poſſeſſionibus vtilitatem ſentire poſſint: &, ſi dominorum alter communionem facere nolit, ad illam inuitus [e] etiã compellatur. Quum enim quamuis inuitus aliquis beneficij [f] particeps ſit, id benignitatẽ etiam eſſe perſuaſum habemus. Hîc autem longè maior ſe exerit benignitas, vbi non ſolùm qui beneficium non agnoſcit, illo tamen afficitur: verumetiam qui illo iniquè priuabatur, id ſentit & percipit.

[b] Laus communionis.

[c] Malignitatis euidẽs argumentũ, ſibi nocere vt alteri noceas: de vicino dixi ad Nouellam Iuſtiniani 63. *c.* 1.

[d] quid ſi non habent? vicinus de ſuo tenetur conferre & inuitus cum eo inire bonorũ ſocietatem, ſi modo pręſtet illi competẽs lucrũ ex empto & locato *Græci apud Cuiac.* 14. *obſ.* 1.

## DE IIS QVI DE MARITIMIS PRÆDIIS [g] ad [h] conſtituendas remoras piſcatorias ſocietatem ineunt. †

### CONSTITVTIO CIII.

IN ſocietatibus vſitatum eſt, vt ferè [i] qui [k] plus contulit, idẽ plus lucri ſentiat. Et rectè ſanè negotiũ inſtituũt, inter quos ita cõuenit. Veruntamẽ de maritimis pdijs ſocietate inita, nõ ideo

[e] ſi ita eſt, inuiti interdũ compellun-

tur ad communionem. & ita reſtringitur lex 26. §. 4. *ff. de condict. indeb.* & aliæ de quibus dixi *ad l. Vlt. Cod. comm. diuid.* [f] *V. qua dixi l.* 69. *ff. de regu. iur.* [g] νομαῖς. [h] περὶ ἐποχῆς ὑπόστασιν, *De epochis adde* Nou. 57. *Nouel.* 102. ſ. *eo. Nou.* 104. ꝉ. † non vt cæteris caſibus, qui plus contulit in ſocietatis communionem plus lucri percipit, ita fit in orarum maritimarum communione: ideóq; hæc conſtitutio exceptionis vice eſt ad leges quæ potiores partes conferunt plus conferenti *l.* 6. *l.* 80. *l.* 83. *ff. pro ſocio.* [i] Rectè hæc particula addita eſt. Interdum enim qui plus pecuniæ contribuit, vi pacti, non plus percipit ex ſocietate, quam qui vel minus, vel nihil (operam tamen) contulit *l.* 5. §. 1. *ff. pro ſocio:* §. 2. *Inſtit. de ſocietate.* [k] *l.* 6. *ff. pro ſocio.*

rectè,

rectè, cuius prædium latius eſt, eo cuius arctius eſt, maius lucrum auferat. Exempli gratia, huius prædium centum paſſus latum ſit, illius verò longè anguſtius, ſi hæc cõiungens communio inde vtilitatem ſuppeditet, vt æqualiter, non autem ſecundum cuiuſque portionem, prouentus, inter ſocios diuidatur, rationi conſentaneum eſt. Quid ita? Quia in alijs negotijs (in collatione pecuniarũ nempe, aut pecorum, aut etiam, ſi quis ita velit, terreſtrium locorum) vnaquæque res quæ in communionem coijt, per ſe domino, quantum eius natura fert, vtilis eſſe poſſit: in maritimis verò prædijs id ſimiliter ſe non habeat. Nam non quemadmodum illa, ſic quoq; maritimi iuris portio in ſe conſiderata, peculiare lucrũ habet. Non enim præda [a] ibidem ſemper loci conſiſtit, tanquam venatores expectans. Alioqui verò, etiam quòd maior portio, propter minoris defectum inutilis ſit. Quis enim ex re imperfecta vſus aut vtilitas? Additio autem minoris quum imperfectionem expleat, quódque per ſe ad nihil conducat, vtile reddat, rationi conſentaneum ſit; vt vtilitatis ex maiore portione, quæ citra acceſſionem minoris nihil emolumenti adferat, prouenientis æqualem partem domino ſuppeditet. Propterea igitur legem etiam quæ deinceps iuſtè hoc gubernet, Imperatoria noſtra maieſtas profert. Statuimus verò, vt ſi duarum maritimarum portionum, quarum altera maior, altera verò minor ſit, ad conſtituẽdas remoras piſcatorias in communionem coniunctio fiat, vtriuſque portionis domini ex æquo [b] inter ſe lucrum diuidant.

## DE PISCATORIIS [c] REMORIS INTER quas legitimum interſtitium [d] non eſt.

### CONSTIT. CIIII.

Idem Imperator eidem Styliano.

QVANDOQVIDEM ſæpe vſu venit, vt quum legitimo interuallo vicinæ inter ſe remoræ piſcatoriæ non diſtent, contentiones atq; lites exſuſcitentur: de ijs etiam controuerſijs ſtatuimus, vt reus vbi legitimè cõuictus fuerit, ſi loci ſpatium patiatur, eò remoras transferat, vbi tanquam legis præſcriptum deſpiciat, litem ſubiturus non eſt: ſi verò quò transferat locus non ſit, annorum curriculum obſeruetur, quot in litigioſo loco remorarum ſeptum fixum [e] fuerit: & ſi actore præſente, nullamq; proteſtationem interponente decem [f] annos conſtiterit, immotum eodem in loco permaneat: at ſi actor peregrè ſit, vt ſeptum non moueatur, decennium non ſufficiat, ſed alterum annumerari oporteat, vt anni omnes viginti ſint. Atque hoc quidẽ præſcriptum in prophanis obtineat. Eccleſiæ verò & monaſteria, & ſi qua alia venerabilis domus, tum deniq; quęcunque ad fiſcum referuntur, quum ipſis ad annum quadrageſimũ iura conſeruentur, dictum tempus deſpicient. Ac ſic quidem de [g] remorarum ſtatione, quæ [h] propter temporis longitudinem moueri non poſſint ſancientes, iubemus, ne actor maritimæ oræ [i] emolumento priuetur: tametſi [k] quòd tempus elapſum ſit, obtinere litem non potuerit.

## SI MAGISTRATVS ALIQVIS RES FISCAles furatus eſſe deprehenſus ſit.

### CONSTIT. CV.

LAVDABILIS res eſt legitima caſtigatio & pœna, quòd incompoſita emẽdet: & ad mala propenſos, ne in illa proruant, vel inuitos reſtringat. Laudabilis *eſt* (*inquam*) quando legibus conuenientem ſeruat clementiam, neque hanc excedere argui poteſt, neque verò caſtigandi prætextu crudeliorẽ ſe exhibet. Quando & pater [l], donec benignè delinquentem filium caſtigat, ſimul prudentiæ, ſimul caſtigationis nomine laudandus eſt: vbi verò, paterno affectu abiecto, non vt [m] patrem decet, ſed atrocem in modum pœnam filio infligit, non paterno more caſtigat, neque quiſquam atrocitatem approbat. Ac ſanè ſi leges reuera reipublicæ parentes [a] ſunt, (quemadmodum ſunt profectò) requiritur omnino; vt pro [b] ratione delictorum pœnas etiam conſtituant: nequaquam verò immanem aliquam, multóque quàm pro delicti modo grauiorem pœnam imponant. Nam quomodo id legitimæ eſt correptionis, quomodo inde manantis medicationis, ſi qui cuiquam mortem intuliſſe conuictus non ſit, morte puniatur? Medici ſanè quidem non præciſè integra membra ſecari iubent, & lex quum medicorum commiſeratione infinito maiorem [c] præ ſe ferat commiſerationem, (ſiquidem [d] corpora tantummodo ſpectat medicinæ beneficium, leges verò tam [e] animo quàm corpori beneficia præſtant) tantam crudelitatem in eos quibus mederi vult exerET? Hæc itaq; quum hunc ad modum ſeſe habeant, placuit noſtræ Maieſtati, vti quæ lex mortem decernit in magiſtratum qui res fiſcales furatus eſſe deprehenſus ſit, neq; verò in hunc ſolum, ſed in illos etiã qui hac in re illi ſocij fuerint: hæc tanquam ab humano legalique ingenio aliena, non amplius in legalibus conſtitutionibus locum habeat, neque nominetur quidem, & velut ſuperuacanea extra rempub. proijciatur. Dehinc verò iſtiuſmodi magiſtratus pro fiſcalis rei furto dignitate expellantur: quæque ſurripuerint, hæc in duplum dependant. Qui autem in hoc communicarunt, ſi diuites ſint, eidem pœnæ ſubdantur: ſin pauperes, flagris cæſi ignominioſeque tonſi [f] exulare iubeantur.

[a] ἄγρα, id eſt captura.
[b] non pro ratione prædiorum *d.l.6.*
[c] περὶ ἐποχῶν *Scrimg. de epochis ad de Nouell.* 57. 102.103.*s.eod.*
[d] διάμετρον *Scrimg.*
[e] ἔσχηκεν ἡ ἐποχὴ τὴν πῆξιν. recte πῆξιν: ſolebãt.n. in mari palos cõfigere ad retia extendenda.
[f] Si quis in prothyrũ vicini ſuam ἐποχὴν porrexit decennio, vicino præſente & tacente, aut vicennio vicino abſente, non poterit tot annorum poſſeſſio moueri.
[g] περὶ τῆς ἐπαρχικῆς ςάσεως *Scrimg.* περὶ τῆς ἐποχῆς. *Cuiac.14. obſ.1.*
[h] ςάσεως ὄσαι, &c. *Scrimg.* qua & Græci & Latini ſæpe vtuntur.
[i] τοῦ πρoθυρίου κέρδους μὴ στερεῖσθαι &c. *Scrimger.* quod lucrum Græci interpretantur τοπιατικὸν & locarium *§.l.15.ff.qui potiores.*
[k] κἂν μὴ τὸ κράτος ἔσχε καθάπερ (Cuiacius 14. *obſer.* 1. legit καθάπαξ) τῆς ἐκδιώξεως διὰ τὴν ἀναφανεῖσαν (Cuiacius *d.loco* legit ἀναφωνοῦσαν) ἀντίπτωσιν: idem legit ἀντίπωσιν. † dupli pœna punitur, *§t hic*, non capitaliter. & ita abrogatur lex vnica. *Cod. de crimine peculatus.* [l] *§.tit.de emendat.propinquorum.* [m] exemplum *§.l.5.ff. ad l.Pomp.de parricid.*

[a] leges, parentes reipublicæ.
[b] *Nouell. 61. s.cod. Nouell. Iuſtin.82.cap.* 10. *l.* 11. *ff.de pœnis.*
[c] Legum cõmiſeratio medicali maior.
[d] Quatenus iuriſperitus antecellat medicum. Si ita eſt, medicinæ ſtudium iuridico cedit.
[e] legum vtilitas.
[f] *Nouell. 96. s.cod.*

## DE INDOTATIS MVLIERIBVS, QVANtum maritis mortuis & ipſorum bonis lucrentur.†

### CONSTIT. CVI.

SI rem quæ modo aliquo abſurda, æquitatiq; eſſe diſſentanea apparet, lata de illa lege ad decentem conſtitutionem deducamus, operæ pretium nos facturos videmur. At quæ illa tandem eſt? *Quòd quæ* mulieres inopes (id quod non [g] raro eſt) locupletibus viris matrimonio iunguntur, hæ illis defunctis prouenientem ex ipſorum bonis portionem (prouenit autem, ſi pauciores quatuor liberi ſint, cognominis iſti numero portio, *quadrans* [h] *nempe*: ſin *tot aut* plures, quantum quiſque illorum habet) non in perpetuũ dominium, neque vt de illa teſtari poſſint: ſed ad vitam in vſumfructum tantummodo, &, vt inde vitam ſuſtentent, accipiant: & ipſis mortuis in liberos huius portionis dominium transferatur: neque illis rebus ſuis vtendi quomodo velint poteſtas concedatur, extra quam ſi nulli liberi ſuperſint, quod infortunium illas rerum dominio beet: vt haud ſciam vtrum mulier ex ſe fructum videre præoptet, an verò ne naſcatur aliquis, quo deuoluendæ ad ipſam portionis domina fiat, execrabunda precetur. Hanc verò abſurditatem Imperatoria noſtra maieſtas corrigens, ſancit, ne †iſtius portionis dominium mulieri auferatur, vtique ipſa quomodo viſum ſit de illa ſtatuat, & nihil aliud liberis quàm quod ex Falcidia ipſis competit debeatur: tamen [i], vt priorum nuptiarum illa non obliuiſcatur, neque inducto altero marito prioris toro contumeliam inferat. quod ſi contingat, à nobis attributo dominio prorſus excidet: illaque fato functa liberi rerum domini fient.

## VT ACTOR ANTE LITIS CONTESTAtionem [k] porrecto libello iudici fidem ſuam probet.†

### CONSTIT. CVII.

SI quicquid honeſtum, vitæque humanæ vtile eſt, à ſenio liberum ac ſemper vernans permaneret, neque vnquam eius vtilitas deficeret: id verò longè præſtantiſſimum foret. Quamobrem etiam ſi contingat (vt ſanè perſæpe contingere ſolet) vt eo neglecto vtilitas depereat, quorum curæ communis vitæ bona incumbunt: hi certè, vt ne id quod de ſe multum vtilitatis in commune diffundat, reſtituere negligant, ſanè quàm conueniens eſt. Eapropter & noſtra Maieſtas legem quandam rebus humanis multo quondam vtiliſſimam, nunc verò velut ſenio confectam, & ne prorſus inutilis fiat periclitantem, ad priſtinum robur reducens, ſenij incommodum quaſi abradit, & ad primitiuum ipſius vſum reique publicæ vtilitatem renouat. *Lex*

† quartam ſc. & vt ea pleno dominio ſit vxoris, *§t hic*: non vſu ſolo vt olim, & ita abrogatur Nouella 117. *c.5.§erſ.ſi autem, ibi, §t §ſum ſolum in talibus rebus mulier habeat.*
[g] Sæpe euenit vt pauperes mulieres ditiorib. maritis elocentur.
[h] De quarta vxori inopi cõpetente in bonis mariti locupletis defuncti, vide quę ſcripſi ad Nouell. Iuſtiniani 117. *c.56.*
† abrogatur *d.c.5.d.loco.*
[i] id eſt, ita tamen ne ad ſecundas tranſeat nuptias.
[k] dixi ad *Nouell.97.s.eod.*
† id eſt, iuret. reducitur *Nouel.49.Iuſtin. cap.3.*

*autem* de illis qui actiõnem mouent agit, vt hi priuſquam ad rei diſquiſitionem deueniatur, de ſuo inſtituto iudici fidem faciant, ſcripto complexi, ſe nullo [a] dolo malo aduerſarium inquietare, neque alio iudicio condemnatos eſſe, neque in præſens ſcire ſe nullum ad tribunal aditum habere, & maligno conſilio negotium faceſſere, neq; denique mendacijs veritatem interuertere conaturos eſſe. Atque hæc quidem legis præſcripta ſunt: quæ ſanè rectè ſeſe habent, eaq; qui tranſgrederetur, huic pœna infligebatur. Neque verò huic ſoli, ſed cauſſarum etiam patronos ijſdem dicta lex adijudicabat. Itaq; hanc (quemadmodum dixi) ceu deperditam [b], prorſúſq; inutilem redditam, Imperatoria noſtra maieſtas tum ad priſtinas vires reducit, tum in rempublicam reditu donat. Ac verò ſancimus, vt qui dehinc in iudicium procedere volent, ante introitum, quæ à lege præſcribuntur, exhibeant.

[a] ὅτε δολιότητι, dixi ad *l.99.§.eod.*

[b] *Nouell. Iuſtin.47.c.3.*

DE EO QVI AD PRIMAM DENVNTIAtionem iudicio ſe non ſiſtit.†

† In vſum reuocatur Nouella Iuſtiniani *69.c.3. Nouell.* 112.*c.*3.

*CONSTITVTIO CVIII.*

NEQVE verò hoc, tametſi neglectum hactenus contemtuiq; habitum ſit, incorrectum relinqui fas eſt, potiúſq; vt conuenienti auxilio potiatur conuenit: vtpote quod humanis rebus multam de ſe vtilitatem præbeat. Nos itaq;, quemadmodum is tractatus qui litem inſtituere volentibus formam præſcribit, innouatus eſt, ad conſimilem etiam modum hoc innouantes, ſancimus, *Vt qui ſemel* iudiciali citatione in ius [c] vocatus, neque ipſe paret, neque alium qui pro ipſo in iudicio ſe offerat mittit, iterum iudicij denunciatione impetatur: cui ſi ſimiliter non obtemperet, neque tertia denunciatione indignus cenſeatur: & ſi quidem, quum tam patienter iudicialis clementia ipſum expectet, ipſe nihilominus tertiam [d] citationẽ contemnens, (quum nulla iuſta cauſa comparationem eius impediat) neq; per ſe, neque per alium iudicio ſiſtat: tunc omnino etiam abſens condemnetur, & nequaquam deinceps vel quæſtionem mouere, vel condemnationem ſubterfugere ipſi permittatur. Atque hoc in vtrumq; litigatorem decernimus, ſiue quis in ius vocatus comparere negligat: ſiue quis actione inſtituta, aduerſarióque in iudicium producto, deinde ipſi moleſtias protelationéſque litis machinans, ab intenta actione dolo malo deſiſtat. Etenim hic quoq;, vbi ter à iudice citatus non paruerit, abſens condemnabitur: ita tamen (quemadmodum dixi) ſi nulla cauſa, quæ illum qui ſe in iudicio non obtulit, veriſimiliter purget, ad iuſtam excuſationem ſubſit.

[c] *V. titu. ff. in ius vocat.*

[d] *V. d. c.3.*

† & ita reducitur lex 14. *ff. de ſponſal.* Auguſtus antea conſtituerat, Ne minor x. annis ſponſa haberetur *V. Dion. Zona.*

[e] Infantia his annis deſinit *d.l.14.l.1.ff. de adminiſt. tut. l.3.C. qui adm. l.18.C. de iure deliberandi.*

NE † INTRA SEPTIMVM [e] ÆTATIS annum ſponſalia ineantur, neque ante decimumquintum maribus, aut decimumtertium fœminis matrimonium conſecretur.

*CONSTIT. CIX.*

QVVM ſuum cuique [f] rei tempus eſſe Sapiens [g] tradat, idque communis omnium, qui modò mentis compotes ſunt, ſententia tum amplectatur, tum probet: in omni actione tempus obſeruare [h], longè pulcherrimum fuerit. Quod ſi fortaſſe alibi, in contrahendis certè matrimonijs negligi non debet. Oportet enim, vt quo ea res in communi vita magis neceſſaria eſt, eo prudentius cautiúſque ad illam procedatur. Quam ſanè nos ob cauſam ſecundum veteres [i], qui rectè hac de re lege lata ſtatuerunt, ſancimus, *ne quo* modo ante [k] ſeptimum ætatis annum ſponſalia conſtituantur, neq; matrimonium [l], ſponſa duodecim, ſponſo verò quatuordecim annis minore, ſacris [m] ceremoniis confirmetur. Atque hoc quidem, quantum ad communem publicúmque reipublicæ vſum attinet, ita vetitum ſit. Verùm ſi Imperator [n] (vt ſæpe accidit) nouam familiam conficiens, & ſponſalia, & conſecratione peragendam coniunctionem intra præſtitutos annos deſponſandis decreto permittat, id nihil legi aduerſabitur. Licitum enim eſt, vt quibus Deus vniuerſi terrarum orbis, tanquam familiæ [o] cuiuſpiam, adminiſtrationem demandauit, hi ſecus quàm lex quæ ſubditos deuincit, præſcribat, familias cogant.

[f] καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι.

[g] *Eccleſiaſt.3.*

[h] τηρεῖν τὸν καιρόν.

[i] *d.l.14.* intelligit.

[k] Ante ſeptimum annum ſponſalia nõ conſiſtunt.

[l] Matrimoniũ fœminæ ante 12. annũ nõ cõtrahũt maſculi ante 14. *l.9.ff. de ſponſalib.*

[m] ἱεροτελεςίαις.

[n] *V. Nouellã Iſaaci Angeli c.2.j.*

[o] Subditi, principis familia.

VT MVLIER, SOLVTO MATRImonio dotem ſuam propterque nuptias donationem, & reliquam omnem mariti ſubſtantiam in commentarium [a] conſcribat, ac eo prolato reſarciri ſibi poſtulet, ſi quid damni in rebus ſuis à marito ſe paſſam dicat: citra [b] commentarium autem euidentémve probationem nihil petat, aut petendo accipiat.

[a] ἀπογραφὴν nota de inuẽtario rerum dotalium.

[b] χωρὶς ἀπογραφῆς.

*CONSTIT. CX.*

QVVM præter alia, quæ ſanctè à veteribus [c] de matrimonij rebus tractata ſunt, huic quoque tractatui ſatis proſpectum ſit: vt nempe mulier ſoluto matrimonio nõ quoquo modo res maritales percipiendas & detinendas vendicet: ſed ſi de illis controuerſia moueatur, confectum poſt mortem mariti de dote ſua & donatione propter nuptias, reliquíſque maritalibus facultatibus commentarium publicè prius exhibeat: & ſiquid ex dote à marito conſumptum eſſe appareat, id ex ipſius bonis repetat: quum hoc (inquam) quomodo ius atque æquitas poſtulat, à veterib. conſtitutum ſit, ac verò nunc eius nulla ratio habeatur: quoniam veterum prudentiæ vtilitatem conſeruandam ducimus, illorum ſanctionem renouantes, ſtatuimus, *Vt dehinc* omnibus modis de dote, propterque nuptias donatione, & alijs quibuſcunque maritalibus rebus à mulieribus commentarius conficiatur, quò ſi quando ad iſtiuſmodi controuerſiæ ſpeciem adigantur, & ad res maritales pro eo quantum ipſarum res deteriores redditæ ſunt, procedere velint, ex eo commentario aut probatione petitionis æquitas cognoſcatur. vt tum rectè res maritorum vendicent, quando commentario comprehenſa ab illis inſumpta eſſe conſtabit. Citra commentarij autẽ teſtimonium neq; petitio locum inueniat, neque illa cõtentioſè petentes aut audiantur, aut quicquam eorum quæ petunt conſequantur. Porrò commẽtarij conficiendi tempus ſtatuimus, vt intra tres [d] menſes fiat: & cuiuſmodi mulcta à veteribus in tutores conſtituta eſt, talis etiam hîc procedat.

[c] Iuriſconſultis & Imperatoribus: adde Photium 9. *Nomocan.* 28. 29. *& ſequen.*

[d] Idem temporis ſpatiũ inuẽtario bonorum defuncti faciendo præſtitit lex vltima §. 2. *C. de iure deliberandi* & inuẽtario bonorũ pupilli 5. *Harmenop.11.cap.* περὶ κεκωλυμένων ἐπιτροπεύειν. quod Accurſius nõ ꝓbat in l.24. *Co. de adminiſt. tut.*

VT SI VXOR [e] MENTE CAPIATVR, idque neq; dolo mariti, neque ipſo conſcio, aliorum maleficio fiat, & vltra tres [f] annos id malum duret: matrimonium dirimatur, alterámque vxorem ducere marito liceat.†

[e] de viro *Nouell.j.eod.*

[f] Nouella Nicephori Botoniatæ *cap.1.j.* idem confirmat, & Photius 13. *Nomocanon.*30. quo loco Balſamõ huiuſce Nouell. mentionem facit, vt & Harmenopulus 4. *tit.* 1. *ca.* περὶ μανίας.

*CONSTIT. CXI.*

Idem Imperator eidem Styliano.

NIHIL adeò ad conſeruandum genus humanum eſſe neceſſarium, atque quod è [g] coſta viro attributum eſt ſubſidium, cùm artifex ille qui iſtud condidit docet, tum ipſa natura diuino documẽto atteſtatur. Quod quum ita ſit, par atque conueniens erat, legis prouidentiam, & ſi qua aliunde cura mortalium rebus ſuccurrit, iſtiuſmodi de re illa commentari & ſtatuere, quæ per omnem vitam illis qui coniugij nexu vniti ſunt, auxilio gaudioq; ſint: quæ initio propoſitum coniugij finem confirment, non verò contra affligant, & miſeriam perpetuúmque mœrorem adferant. Si ergo coniugium tale eſſe oporteat (quemadmodum certè oportet) non ſanè ſuſcipienda mihi illa lex [h] videtur, quæ ſi poſt initum matrimonium furore vxor corripiatur, maritum illam perpetuò retinere, & furoris incommodum ſemper ferre cogit. Vbi enim approbetur, vbi rationi conſentaneum, aut matrimonialis conuictus ſolicitudine dignum videatur, vt per totam vitam maritus inſanienti vxori alligetur, eiúſq; fœditatibus conficiatur? Si enim nullus adeò truculentus eſt, vt vel momento quemquam cum feris in eundem locum includere ſuſtineat: quomodo legis benignitate prædita illa lex [i], quæ perpetuò efferatæ furore coniugi cohabitare maritum iubet? Sed per coniugiũ (inquiunt [k]) in vnum [l] corpus coierunt, oportétq; membrũ alterum alterius morbos perpeti: & diuinum præceptum [m] eſt, quos Deus iunxerit, ne ſeparentur. Præclara [n] quidẽ

† & ita abrogatur lex 16. *infi. ff. de ritu:* quæ generaliter vetabat matrimoniũ ob furorem diſſolui, reducta diſtinctione legis 22. §. 7. ff. *ſoluto.* ſed tamẽ Photius dicto loco negat hãc Nouellam Leonis vſitatam. ſtari potius iuri Nouellæ Iuſtiniani 22. *c.* 15. *Nouell.* 117. *c.* 8.9. quæ inter cauſas diuortij hanc non enumerat.

[g] *Gen.2. Verſ.22.* [h] *d.l.16. inf. l.8. ff. de his qui ſunt ſui: l.4. ff. de diuor.* [i] hinc ſatis perſpicuum eſt non intelligi hoc loco *d.§.7.* [k] obiectio. [l] ἓν μέλος. ſic alibi σάρκα μίαν *Mat.19. Verſ.5.* [m] *Matth.19. Verſ.6.* [n] refutatio obiectionis.

hæc, & diuina, vtpote quæ à Deo pronuntiata ſint: verùm non rectè, neque ſecundum diuinum propoſitum hîc in medium adferuntur. Si enim matrimonium talem ſtatũ cõſeruaret, qualem eius in principio pronuba [a] exhibuiſſet, quiſquis ſepararet, improbus profectò eſſet, neque reprehenſionem effugeret. Iam verò quum præ furore ne vocem quidem humanam à muliere audias, nedum aliud quidquam eorum quæ ad oblectamentum & hilaritatem matrimonium largitur, ab illa obtineas, quis adeò acerbum horrendúmq; matrimoniũ dirimere nolit? Ea propter ſancimus, *Vt ſi quando poſt* initum matrimonium mulier in furorem incidat, ad tres [b] annos infortuniũ maritus ferat, mœſtitiamq; toleret: & niſi interea temporis ab iſto malo illa liberetur, neque ad mentem redeat, tunc matrimonium diuellatur, maritúſque ab intolerabili illa calamitate exoneretur. Cui ſanctioni hoc adijcimus, vt furoris cauſa inueſtigetur, in eamq; inquiratur, num [c] fortè mariti aut *ipſo conſcio* familiarium eius, aliorúmve quorumlibet technis atque dolo ſit conflatus. Quòd ſi hic eſſe deprehendatur, & quidẽ maritus [d] maleficij arguatur: vt hic in monachum transformatus, nolensq; volens monaſterio incluſus, nequitiæ ſuæ pœnas luat, manantiq; ex ſacris canonibus animæ curationi ſubiectus ſit, decernimus. At ſi à cognatis ipſius, aut aliunde ipſo conſcio noxa orta ſit.***

[a] νυμφοςόλος.

[b] Triẽnali furore matrimonium poteſt dirimi.

[c] quid enim ſi vxor malis artibus mariti in furorem verſa eſt?

[d] Pœna mariti, cuius malis artibus vxor in furorẽ verſa eſt, *adde Nouell.* 22.*ca.* 15.§.1.*l.*3.*ff. ad leg. Cornel. de ſicarijs.*

## VT SI MARITVS [e] PER MATRIMONII tempus in furorem incidat, intra quinquennium † matrimonium ſolui nequeat: eo autem elapſo, ſi furor eum adhuc occupet, ſolui poſſit.

[e] De muliere dictum eſt *Nouell.* 111. ſ. *cod.*

† 4. Harmenop. 1. *Nouell.* Nicephori Phocæ. ĩ. *cod.* ſed Photius 13. *Nomocanõ.* 30. negat hãc Nouellã Leonis obſeruari, cùm furor inter iuſtas diuortij cauſas non numeretur in Nouella Iuſtinian. 22. *cap.* 15. Nouell. 117. *c.* 8. 9.

### *NOVELLA CONST. CXII.*

VETERVM [f] iuriſconſultorum ſentẽtiam, qua furorem matrimonium impedire, iam initum autem non infirmare conſtituitur, neque conuellere, neque reprehendere eſt animus: illóſq; ipſos ad iudicium ſuum, quo ad id decernendum cõmoti ſunt, expendendum remitto: vt tamen illam aut approbẽ aut confirmem, quòd id mihi approbatione indignum videatur, induci nequeo. Nam quum matrimonium, ſi furor præueniat, impediatur: at verò ſi inito iam matrimonio furor ſuperueniat, illud nihil lædi dicatur, quomodo hinc ad comprobandum illectemur? Si enim hoc in matrimonio ſpectatur, vt cum vtriuſq; coniugis commodo contrahatur: quomodo, qui ne id ab initio tanquam inutile conſiſtat ſuadet, ſi poſtquam initum erit, eadem calamitas exiſtat, non idem eius compagem tanquã inutilem diſſuadebit? An operam dari oportet, ne quis omnino in mali cuiuſquam periculum incidat: qui verò iam inciderit, hic ſine omni ope relinquendus, ipſiúſq; calamitatũ non miſereſcendum eſt? *Quod perinde* [g] *ſit, atque* ſi quis, priuſquam morbo quiſpiam corripiatur, adhibendum remedium exiſtimet, at iam correptum negato remedio mori ſinat. Veruntamen (id quod dixi) reprehendere iuriſconſultos non eſt animus: vt tamen ipſis adſtipuler, per multum abeſt. præſertim verò quum multi alij modi ad ſoluendum matrimonium conſtituti ſint, quorum [h] nullus cum furoris malo conferri rectè poſſit. Quomodo [i] nanq; mariti prodigalitas, aut religionis [k] diuerſitas, aut in naturali conſuetudine impotentia & imbecillitas, aut ſi quid aliud his connumeratur, quod ad diſſoluendum matrimonium valeat, (cuiuſmodi eſt, ſi ſeruilis conditionis coniugem eſſe appareat, & ſi quæ [l] in pactionibus nuptialibus promiſſa ſunt, propter paupertatem plenè præſtari nequeant) hæc, inquam, & ſimilia, quibus matrimonia diſſoluere lege tributum eſt, quomodo tandem cum furoris calamitate comparari poſſunt? Nos itaque ſancimus, *Vt ſi furor poſt* initum matrimonium ſuperueniat, ne intra quinque annos coniuges diſiungantur. Etenim quemadmodum quando per omnem vitam furor duraret, nec tamen matrimonium dirimi poſſet, id durum & acerbum eſſe viſum eſt: ita tanto tempore expectare & perſeuerare neceſſe eſt. At ſi, poſtquam tantum temporis decurrerit, malum ſe non remiſerit, neq; furioſus reſipuerit: cum neutrius commodo aut incommodo cõiugium dirimatur. Atque hæc quidem ſtatuimus, non quo ſuperioribus legiſlatorib. obtrectemus: ſed vt quam ſubditis curam debemus, adimpleamus. Iam verò *ſi furor ipſe* nuptiarum die animaduertatur, quominus confeſtim matrimonium, tametſi [m] ſacro ritu confirmatum ſit, diſſoluatur, nihil obſtiterit: perindeq; ac ſi ante nuptias furor animaduerſus eſſet matrimoniũ in irritum recidet atque diſtrahetur. Sed [a] quod poſt conſecrationem diſiungendos eſſe coniuges dicitur fortaſſe id nonnullis recto iudicio deſtitui videbitur: quaſi, poſteaquam ſacrificio [b] iuncti in vnum corpus coierunt, non dirimi illos, ſed vnitos ſini oporteat. Et præſertim quidem quum præſtantius membrum, adeóq; caput [c] maritus ſit: neque præcipua corporis membra, ſi morbo aliquo occupentur, amputari ſoleant. Atqui hæc ratio, dum à coniunctione ſtare, atq; illam defendere ſe putat, quid ſibi benedictio velit ignorare videtur. Hæc enim præſtantiſſima quæque connubio largiri cogitans, pudicitiam indiſſolubilique [d] quodam amoris vinculo coniuges deuinciens, propagationẽ generis, & ſi quid aliud matrimonium iucundũ reddit, conſecrat. At furori *quæſo* quomodo cum hoc ſacrificij propoſito conueniat? Vbi enim pudicitiæ integritas, quando mens ſeipſam non nouit, miſerabiliſq; ignorantiæ infortunio premitur? Vnde verò propagatio generis ſperetur, quum furor ſpectaculum ſolo aſpectu horrendum miſerę vxori miſeriorem maritum exhibet, nedum ipſi cum illo conſuetudinem habere permittit? Quali porrò amoris vinculo colligentur, quum morbus vniuerſum hominem afferat, & vt quiduis potius quam homo videatur efficit? Ac profectò ſi fortè ex tam infortunato connubio fœtus [e] in lucem prodeat, quum natura fructus rebus vt plurimum aſſimilare ſoleat: quomodo non hic ipſe fœtus humano generi commune detrimentum adferet? Mihi igitur propter hæc etiam, matrimonium poſt furoris correptionem ſoluendum eſſe conſtituere, iuſtum rationique eſſe conſentaneum, neque ad reprobationem matrimonialis benedictionis, neque ad aliud quodpiam crimen vergere viſum eſt. Quòd ſi quis ſanctionem à crimine nõ liberet, hic apud ſe furioſi matrimonij vtilitate expenſa, quantum momenti iudicium ſuum habeat cognoſcet.

[f] Ꝟ. *l.* 8. *inf. ff. de his qui ſunt ſui: l.* 16. *inf. ff. de ritu.*

[g] Nota argumentum ſatis firmũ ad huius Nouellæ confirmationem.

[h] aliud firmũ argumẽtum

[i] Ꝟ. *Nouell.* 22. *cap.* 15. *Nouell.* 117. *cap.* 8. 9.

[k] Ꝟ. *l.* 5. *in f. Cod. de ſponſa lib. adde Phot.* 12. *Nomocanon.* 13.

[l] Ꝟ. *Nouell.* 22. *c.* 18.

[m] μετὰ τὴν ἱερολογίαν.

[a] decidendi ratio.

[b] διὰ τῆς συναρμοςικῆς τελετῆς.

[c] Caput vxoris, maritus 1. *Corinth.* 11. *Verſ.* 3.

[d] ἀρρήκτῳ τινὶ δεσμῷ φίλτρου *Scr.*

[e] hoc innuit, Sanum ex furioſo cõcubitu naſci non poſſe.

[f] ἐν τοῖς προσκηνίοις κατασκευάσμασιν.

## VT QVEMADMODVM IN ALIIS STRVcturis lege cautum eſt: ita etiam ſubdialium [f] ambulacrorum ſtructuræ, quæ ſolaria [g] appellantur, decem pedibus à vicinorum ædificijs diſtent

### *NOVELL. CONSTIT. CXIII.*

QVAE veteres de domuum & alioqui parietum ſtructuris tractauêre, perbellè illa ſe habent: & vicina ædificia decem [h] inter ſe pedibus diſtare debere, ab iiſdem rectè conſtitutum eſt. Verùm quoniam de ſubdialibus [i] deambulationibus, & (quomodo aliquis fortaſſe vocet) proſcenijs ſpectatorijs, quæ ad apricandi vſum & eum quidem ſolum excogitata ſunt, atque à Sole nomen acceperunt (ſolaria enim appellantur) in lege nulla mentio facta nihilque conſtitutum eſt: decreto quod de illis ſtatuat, quæq; ſubinde (vt veriſimile eſt) de iiſdem contentiones emergunt dirimat, opus eſt. Decernimus igitur, *Vt & in his ſtructuris* ſolariorum nempe, inter vicinos tantum interſtitium ſeruetur, quantum in alijs conſtitutum eſt. Etenim quemadmodum in illis conſpectus *prohibendi* cauſa decem pedum interſtitium ſtatutum eſt: ita hic quoque meritò idem [k] ſpacium eadem de cauſa præſcribetur: præſertim verò, cùm conſpectus maiorem etiam diſtãtiam hic requirere videatur. Nam ſi, ne ſe inuicem vicini conſpiciant, inter alia ædificia decem pedum intercapedo relinquitur: hîc tanto id magis fieri debet, quãto huiuſmodi ſtructuræ conſpectui magis ſunt expoſitæ. Conſtat enim, ſedẽtem quippiámve facientem in ædibus aliquem, quòd multa ſeptorum obſtacula interſint, non ita facilè poſſe conſpici. In proſceniorum verò de quibus agitur operibus, aut (quomodo multi dicere malint) menianis, quo minus in quancunq; partem circunſpectes nihil obſtet. Ea propter ſancimus, *ne aliter cuiquam* talem ſtructurã fabricari liceat, quàm ſi decem pedibus à vicinorum ſtructuris abſtineat. *Similiter* ſi quis ędium ſuarum faſtigium mutans, marmoreas [l] cruſtas obducat: hic etiam non aliter id faciat, quàm ſi dictum decem pedum interſtitium inter ſe & vicinum relinquat. *** aut alius quiſpiam modus auxilium ferat: longi temporis præſcriptio nempe, ſi ex quo opus conſtitit, a legibus præfinitum tempus decurrerit. aut pactum aſſeruetur, ex quo quis facultate accepta ad ædificãdum acceſſerit: iubemus, vt in ſuo ſtatu ſtructura maneat, tametſi à vicini ſtructura decem pedibus non diſtet.

FINIS.

[g] ἃ τὴν τῶν ἡλιακῶν ἐπωνυμίαν φέρει. *Scrimg. adde* 2. *Harmenop.* 4. *c.* περὶ ἡλιακοῦ ἢ τοῖ ἐξόςου: *&* *c.* περὶ Σωλαρίων. Eadem Meniana & τειχιόςας appellat *l.* 11. *Cod. de ædificijs priua: adde l. Vlt.* §. 5. *C. de ædificijs.*

[h] 2. *Harmen.* 4. *cap.* περὶ οἰκοδομῆς. Imò duodecim, idem 2. *tit.* 4. περὶ ἀνανεώσεως οἴκου παλαιοῦ *l.* 10. §. 2. *Cod. de ædif. priua.*

[i] περὶ τῶν ὑπαίθρων.

[k] decem pedum ſc. *Vt* ſ. *cod. & d. l.* 11. *Cod. de ædificijs priuatis:* niſi publicũ ſolum ſit vicinũ. ſpatium .n. q̃ndecim pedum relinquendũ *Harmenop. d. cap.* περὶ οἰκοδομῆς.

[l] μαρμάρων πλάκας.